



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

OXFORD UNIVERSITY



ST. GILES', OXFORD OX1 3NA

Vet. Fr. II. 8, 1471

J

PET. DAN. HUETII,
EPISCOPI ABRINCENSIS,

COMMENTARIUS
DE REBUS AD EVM
PERTINENTIBVS.



AMSTELODAMI,
Apud HENRICUM Du SAUZET,
M. DCC. XVIII.

Digitized by Google





P R A E F A T I O E D I T O R I S.

Offero Tibi, Lector, haud spernendum munus; Vitam scilicet illustrissimi Præfulis, qui de Litteris tam præclarè est meritus, quique etiam per eas immortale decus est adeptus. Parisiis cùm præterita æsta- te degerem, feliciter natus exemplar accuratè ex ipso αὐτογάρῳ descriptum, rem Eruditis pergra- tam facturum me duxi, si ea, quæ de rebus ad illum pertinentibus scripserat Cl. Huetius, publicijuris facerem. Non igitur Te diu, Lector, in limine morabor. Duo

* 2 tan-

P R A E F A T I O.

tantum habeo quae scire tua interest.

I. Pag. 77. hujus *Commentarii*, elegantissimis versibus refert Auctor quo ritu Consul *Hardenbergæ*, quod oppidum est Transsylanizæ, creari solet:

Hinc Hardenbergam sera sub nocte venimus.

Ridetur nobis veteri mos ductus ab ævo:

Quippe ubi deligitur revoluto tempore Consul,

Barbari circa mensam statunt acernam,

Hispidaque imponunt attenti menta Quirites:

Perrigitur series barbarum super ingens.

Bestia, pes, mordax, sueta inter crescere fordes,

Ponitur in medio; tum cuius nomine Divum

Bar-

P R A E F A T I O.

*Barbam adiit, toto huic grata-
tur murmure Patres;
Atque celebratur subjecta per op-
pida Consul.*

Hunc autem morem in illo oppido nec vigere, nec unquam viguisse, liquidò constat: sed ex vano fortasse rumore, vel animi laxandi gratiâ, hos versus effectos esse facile crediderim. Simile autem quidpiam accidit Seculo præterito. *Ludovicus Henricus Lomenius Brienne Comis, Regi à Sécrétis, Itinera-
rium suum in lucem emisit Anno
1660. Leguntur ibi hæc verba p. 18.
Vestragotbici Silvis sequentes in-
ducti Linopie, ob loci religionem
non omittendæ, tantillum substitui-
mus: ibi cippas lapidæ pertusus,
explorande maritorum membrosta-
ti; qui pares foramini, approban-
tar, impares excluduntur connubiali-
tore, inde matrimonia aut
fiant, aut cadunt pro modo peccati.*

P R A E F A T I O.

Alteram eamque auctiorem hujus Libri Editionem adornavit Carolus Patinus Anno 1662. in qua deſiderantur quæ mox retulimus, ut etiam docetur in *Præfatione* his verbis : *Unum temoneo, huic Editioni, cui nihil deest, voluisse Lomenium aliquid deesse, quod scilicet Westrogothicis Silvis, per errabunda vestigia, morosæ viæ pellendis tædiis juveniliter luserat, sapientiorem ætatem & pudorem suppressisse.*

II. Parisiis prodūit Anno 1714. *Tractatus de Batavorum per totum terrarum orbem Commercio, ab Anonymo conscriptus, Le Grand Tresor Historique & Politique du florissant Commerce des Hollandois dans tous les Etats & Empires du Monde.* in 8. Exeunte Anno 1716. liber denuò typis excusus est Amstelodami, titulo *parumper immutato, Memoires sur le*

P R A E F A T I O:

le Commerce des Hollandois &c.
in 12. Eodem autem Anno in lu-
cem emiserat noster Huetius do-
ctissimam Lucubrationem de Com-
mercio & Navigationibus Vete-
rum, *Histoire du Commerce & de*
la Navigation des Anciens, à Pa-
ris 1716. in 12. Hinc factum est
propter argumenti ac tituli affia-
tatem, ut Clarissimo Præfuli Li-
brum à studiorum ejus ratione
planè alienum * plerique tribue-
rint. Et quidem accedebat unum,
quod eorum conjecturam valde
firmare videbatur. Auctor nem-
pe præfati Libri, cui titulus, *Me-
moires sur le commerce des Hollan-
dois, &c.* pag. 2. loquitur de Tra-
ctatu suo de Commercio Vete-

* 4 rum,

† Johannes Clericus Bibliothecque Ancien-
ne & Moderne Tom. VII. Part. 2. Jacobus
Bernard Republique des Lettres Novemb. De-
cemb. 1716. Journal Literaire Tom. VIII. p.
482. Hist. Critique de la Republ. des Lettres
Tom. XIII. p. 408.

P R A E F A T I O.

rum, quod fortasse conscripsit,
sed nondum publici juris fecit;
nemo enim praeter Cl. Huetium
quicquam super hoc argumento
in lucem emisit.

Omnia Cl. Huetii Opera edita,
variasque eorum Editiones, hic re-
conferre non ab re fore existima-
vi. Vale, Lector.

C A T A L O G U S Operum Editorum PET. DAN. HUETII.

D E I N T E R P R E T A T I O N E L I B R I D U O.

Parisiis 1661. in 4to.

Stadæ 1680. in 12.

Hagæ Comitum 1683. in 8. una
cum Libro de Origine Fabu-
larum Romanensium Latinè
verso.

ORI-

PRÆFATI O.

ORIGENIS COMMENTARIA *in Sacram Scripturam*, Gr. Lat.

Rothomagi 1668. in Folio.

Coloniæ Agripp. 1685. in Fol.

DE L'ORIGINE DES ROMANS.

Parisiis 1670. in 8.

Parisiis 1678. in 12.

Londini 1672. in 16. Anglice.

Amstelodami 1679. in 16. Belgice
à Jano Broekhusio.

Hagæ Comitum 1683. in 8. La-
tinè à Pyrone, una cum Libro
de Interpretatione.

Parisiis 1685. in 12.

Parisiis 1693. in 12.

Amstelodami 1716. in 12. Belg.

DISCOURS PRONONCE à l'Academie Françoise.

Parisiis 1674. in 12. ac deinde
in variis Collectaneis.

P R A E F A T I O.

ANIMADVERSIONES IN MA- NILIUM & Scaligeri Notas.

Parisiis 1679. in 4. ad calcem
Editionis Manilii in usum Se-
renissimi Delphini adornatæ.

D E M O N S T R A T I O E V A N- G E L I C A.

Parisiis 1679. in Folio.
Amstelodami 1680. in 8. 2. voll.
curâ Christophori Sandii.
Parisiis 1690. in Folio.
Lipstæ 1694. in 4.

CENSURA PHILOSOPHIÆ CARTESIANÆ.

Parisiis 1689. in 12.
Helmstadii 1690. in 4. accuran-
te Henrico Meibomio.
Franequeræ 1690. in 12.
Hanoveræ 1690. in 12.
Parisiis 1694. in 12.

QUE-

PRÆFATIO.

QUESTIONES ALNETANÆ
de Concordia Rationis & Fidei.

Cadomi 1690. in 4.

DE LA SITUATION DU PARADIS TERRESTRE.

Parisiis 1691. in 12.

Lipsiæ 1694. in 16. Latinè.

Lipsiæ 1694. in 4. Latinè, una
cum *Demonstratio Evangelica*.

Amstelodami 1698. in 8. Latinè,
adjunctus Dissertationi de Na-
vigationibus Salomonis.

Amstelodami 1698. Latinè in
Synopsi Criticorum Sacr. in Folio.

Amstelodami 1701. in 12.

Amstelodami 1716. in 12. Belg.

NOUVEAUX MEMOIRES *pour servir à l'Histoire du Cartesianisme.*

Parisiis 1692. in 8.

Ul,

PRÆFATIO.

Ultrajecti 1698. in 16.

Amstelodami 1698. in 12. Editio
auctior.

STATUTS SYNODAUX,
pour le Diocèse d'Avranches, lus
& publiez dans le Synode tenu
à Avranches l'An 1693.

Trois Supplemens aux dits Sta-
tuts-Synodaux, lus & publiez dans
les Synodes tenus à Avranches,
dans les Années 1695. 1696. 1698.
Cadomi, annis supra memora-
tis in 8.

CARMINA LATINA ET GRÆCA.

Ultrajecti 1664. in 8.

Daventriæ 1668 8.

Amstelodami 1672. in 16. accu-
rante Hogersio.

Ultrajecti 1700. curâ Joannis
Georgii Grævii.

Parisiis 1709. in 12.

DE

P R A E F A T I O.

D E N AVIGATIONIBUS SALOMONIS.

Amstelodami 1698.

Amstelodami 1698. in *Synopsi
Criticorum Sacr. ia Folio.*

N O T Æ I N A N T H O L O G I A M

Epigrammatum Gracorum.

Utrecht 1700. in 12. ad cal-
cem *Poëmatum*, operâ Joa-
nis. Georgii Grævii.

O R I G I N E S D E C A E N .

Rothomagi 1702. in 8.

Rothomagi 1706. in 8.

L E T T R E A M R . P E R R A U L T ,
*sur le parallelle des Anciens & des
Modernes, du 10. Octobre 1692.*

Parisiis 1704. inscio Cl. Huetio,
in tertia parte Libri inscripti,
Pièces fugitives.

E X A -

PRÆFATIO.

EXAMEN du sentiment de Longin sur ce passage de la Genèse,
Et Dieu dit , que la lumiere
soit faite , & la lumiere fut faite.
Amstelodami 1706. in 16. in
Tomo decimo Bibliothecæ Se-
lectæ Joannis Clerici.

HISTOIRE DU COMMERCE
& de la Navigation des Anciens.

Parisiis 1716. in 12.

Bruxellis 1717. in 12.

PETRI DANIELIS HUETII

*Commentarius de rebus ad illum
pertinentibus , Hagæ Comitum*
1718. in 12.

P. D.

Petri Dan. Huethi,

EPISCOPI ABRINCENSIS,

DE

REBVS AD EVM
PERTINENTIBVS

COMMENTARIUS.

LIBER PRIMVS.



Ravissimus benè sentiendi & benè agendi auctor & magister, summæque in Ecclesia Christi auctoritatis Aurelius Augustinus, verringente in senium ætate, reactæ vitæ sive facta recognoscens, si quid occurrebat animo piè laudabiliterque actum, grato id animo referebat ad beneficentiam Dei: quidquid verò adversùm ejus Legem à se méminerat admisum, salubri eluebat pœnitentiā, & palam etiam agnitus ipse accusator sui

A

iii

PETRI DAN. HUETII

in vulgus proferebat : *'Nonne tibi, inquietabat, prolocutus sum adversum me delicta mea, Deus meus, & tu dimisisti impietatem cordis mei ?* Me verò ad abstergendas pristinæ vitæ fordes etsi jam diu excitabat tam illustre exemplum, eò tamen compulit gravior etiam causa, morbus acutissimus ac penè mortifer, quo conflictatus sex totos menses, ne nunc quidem post aliquot annos planè recreatus sum. Hâc enim acri quantumvis & severâ, salutari tamen admonitione revocari me sensi à Deo ad inolitas conscientiæ meæ labes perlustrandæ, & in ejus conspectu demississimæ atque subjectissimæ ponendas. Operæ pretium igitur facturum me duxi, si præteriorum annorum rationem coram eo expromerem, noxarum mearum teste ac judice, omnis verò gratiæ, bonitatis & beneficentiæ auctore ; si quid modò rectè agendo ab eo promeritus sum. Præsertim cùm eò accederet penè quotidianum Amicorum convitum, qui cùm multa me de Viris ætatis hujus cruditissimis, quibuscum conjunctè viixeram, narrantem audivissent, hanc à me

¶ Augustini Confess, lib. I. cap. 5.

me efflagitabant operam, cùm certi aliquid de iis cuperent cognoscere, nec eorum, quæ per me cognovissent ipsi, memoriam extingui vellent.

Tu igitur, summe Deus, qui hominum omnium parens, ita uti revera es, sic haberi & vis & jubes, Opus hoc nutu tuo suscepsum benigno favore prosequere, ut in eo perscribendo, & publici juris faciendo, eò flectatur mens nostra, eò dirigantur sensus nostri & affectus, quò amor tuus crescat in legentium animis; cùm me utroque parente ab ipsa penè infantia orbatum, & ab omnibus agnatis & affinibus spretum & abjectum, paterna tamen caritate suscepsum à te, & per longæ vitæ casus & contagia, ad extremam usque senectutem beneficâ dexterâ tûâ protectum agnoverint.

Inclinata jam in Galliis Factio Calvinistarum paucis post Rupellam expugnatam annis, natus sum Cadomino nobilibus parentibus Danièle Huetio patre jam sene, Factioni huic ante addicto; matre Isabella Pillonia Bertovilla Rothomageensi, ætate integra, formam lectissima. Duas autem jam annæ

PETRI DAN. HUETII
filias pepererat , Mariam & Susannam,
atque etiam filium unum Franciscum:
quorum ortum atque etiam meum sub-
secuti sunt Ægidiae natales , me biennio
minoris ; & postmodum etiam Valen-
tinæ , quæ itidem uti antea Franciscus
paucis tantum ab ortu diebus superfuit.
Atque hoc imprimis summi beneficii à
Deo in me collati loco habendum est ,
quod me parentibus Catholicis gigni
voluit . Quamvis enim in media Calvi-
nistarum colluvie natus fuisset & edu-
ctus pater meus , nihilominus tamen ad-
spirante cœlestis gratiæ aura afflatus ,
& Johannis Gonterii , pii & docti è So-
cietate Jesu viri , consiliis primùm &
hortatu , ac creberrimis deinde literis ,
quæ penes me sunt etiamnum magne
numero , instinctus & instructus , Chri-
sti Ecclesiæ colla submisit , & epoto sa-
Jutari veritatis antidoto , evomuit lethi-
ferum perversæ doctrinæ virus . Nec
susceptam Religionem segniter excoluit ;
nam in iis controversiis , quæ pertinent
ad defensionem Catholicæ veritatis ,
versatus erat diligenter , summoque in
studio adjecterat animum , ad promo-
vendos , si posset , Catholicæ quam spre-
verat

verat Ecclesiæ fines. Nam cùm mater ipsius , avia mea , à qua perverso dogmate fuerat imbutus , gravi morbo correpta in summo esset vitæ discrimine , tantum valuerant optimi viri fusæ ad Deum preces pro salute matris impetranda , gravesque adhibitæ ad eam cohortationes , ut ad agnitionem veritatis ipsam demum excitaverit. Itaque ante captam animo ejurandi doctrinam , recitatisque cyanea voce nefariæ Sectæ dogmatis , in Christo placide conquievit. Qua re cognita Gonterius impendio lætatus eum quem instituisset ad notitiam veritatis , aliis quoque idem beneficium præstare potuisse , rem consignandam publicis monumentis censuit , & posteris commendandam. Carminibus ergo Græcis , Latinis & Gallicis affabré factis celebrata res est ipsius & amicorum operâ ; additumque elogium non inelegans de spectatissimæ feminæ vita & virtutibus. Quæ pater meus incedi voluit ad pérpetuam rei memoriam in tabula marmorea , sepulcro ejus apposita , quod exstrui curavit in Cádomensi templo Sancti Johannis. In eo præterea paravit sibi posterisque suis Sa-

PETRI DAN: HUETII
cellum, eleganti sepimento vallatum,
picturis signisque exornatum, splendido
sacrorum vestimentorum apparatu deco-
ratum, & certis redditibus dotatum in
singulos annos; quo suum deinde cor-
pus, suæque conjugis, post mortem in-
ferri-jussit. Idem pro sua pietate, & re-
ligioso divinæ rei cultu, ad simplices &
usitatos in Ecclesia canendi modos, mu-
sicos addidit concentus, ac fidicines
etiam & symphoniacos. Instrumenta de-
nique musica, quæ sibi comparaverat
oblectandi sui causâ, templo largitus est
liberaliter, & piis usibus consecravit.
Nam & musicæ artis perstudiosus erat
& bene peritus, & instrumentis mu-
sicis concinnè utebatur. Saltabat ad hæc
venustè, artisque hujus adeò sciens ha-
bebatur, ut cum splendidum aliquando
tripudium Cadomii pararetur, & ex levi
morbo decumberet in lecto, conveni-
rent ad eum saltatores, suique artificij
egregium spectatorem, & unicum arbit-
rium constituerent. Sese quoque exer-
cuerat in poëticis, nec aversum senserat
Apollinem; cum vel juveniles versicu-
los, vel in theatrales etiam usus serium
aliquid elaboraret. Nec pigebit præ-
terea

tætra aliud h̄ic etiam commemorare Christianæ pietatis officium , ab eo Patribus Carmelitis Domus Cadomensis præstitum. Indulgeat modò benignus Lector imprudenti filio , molliore forsan quam deceat animo facta patris referenti. Cùm vitium facerent ruinosæ ipsorum ædes , totumque peristylium vetustate collapsum corruisset ; nec hominibus paupertatem solejni voto professis restituendarum earum facultas suppeteret ; subvenit in tempore pater meus , negotiique totius ac sumptuum etiam magna ex parte suppeditandorum curam in se recepit. Nec immemorem beneficii se præbuit religiosus Ordo ; sed familiæ nostræ insignibus ad parientes peristylii non uno loco insculptis gratum animum est contestatus. Hæc mihi benè de Ecclesia merendi exempla , aliaque compluria reliquerat pius parent , nisi ad ea minus attentum vitæ illecebræ aliò abstraxissent.

Suscepérat me de sacro fonte vir opibus potens , & primariæ inter Cadenses dignitatis. Is proximis post me natum Calendis Januariis prosecutus est me splendido munere , bombycino pi-

A 4 leo-

3 PETRI DAN. HUETII.

leolo , erectis ardeolæ cristis decorato^m,
quas retinebat orbiculus aureus adamantibus distinctus. Baltheum his adjunxit
rat auri subtemine picturatum , ex quo
pendebat ensiculus puerili staturæ ac-
commodatus ; imprimis verò torqueum
aureum , tam gravem & ponderosum ,
ut cùm ætate provectione eo ornatus mul-
tisque spiris revinctus incederem , penè
opprimerer gravi onere , ac sæpe cor-
ruerem. Non diu post hunc liberorum
proventum superfuit optimus parens ,
qui diro tentatus hydrope , variaque in-
cassum expertus remedia , atque impre-
mis Paganorum fontium ácidos haustus ,
domum tandem redux placida morte de-
cessit. Jam inde verò nostri , bonorum
que nostrorum tugela matri commissa
est , quam & toto triennio prudentissi-
mè administravit. Deducebat me mater
sæpenumero hoc tempore in suburbia-
num prædium ad sororem suam , ma-
terteram mēam Catharinam Pilloniam ;
eratque in proximo rustica mulier mēi
amanitissima , quæ me in tugurium suum
sæpe ad se invitabat blanditiis & mu-
nusculis. Cùm excurrissim autem ali-
quando ad eam , humi jacentem reperi-

ad.

ad focum, obvoluto capite; vix ut os
ori, basianidi catissā, admovere potue-
rim. Illa me lenibus abigebat verbis,
& velut aversata, jubebat & se protinus
discedere. Et meritò sanè; laborabat
enim ardenti peste, ex qua nocte se-
quenti extincta est, me plane incolu-
mi. Quod insigne beneficium ingratu-
sim atque vecors, nisi ad præsens Dei
patrocinium referam, mihi jam inde &
tenera illa ætate indesinenter præstitum.

Quinquenni jam major eram; vide-
barque ex prima illa literatura; quæ
Grammaticæ velut infantia est & litera-
tio appellatur à Varrone, aliquid posse
decepere. Tum autem habitabat in vi-
cinia nostra Alanus Algæus, vir sacri
ordinis, pietate insignis, optimo prædi-
tus ingenio, nec studiorum humanitatis
& poëticæ facultatis omnino expers; in
controversiis autem de rebus ad fidem
pertinentibus scitè explicandis apprimè
versatus; quod & scriptis in lucem edi-
tis abundè declaravit. Hunc ut mihi
jam tum mater destinabat domesticum
Præceptorem, ita primis literarum ele-
mentis rudent animum ab eo informari
voluit. Jamque progressus aliquos fece-
runt. A 5. annis rām,

30 PETRI DAN. HUETI.
ram, cùm. surgentes spes interceptat ma-
tris amantissimæ mors immatura, ad
quadragesimum annum ætatis nondum
proiectæ, Quo casu ita conturbata est &
afflicta domus nostra, resque familiaris,
ut non multum abesse augurarentur ho-
mines, quin bonis omnibus ac fortunis
propè eversa esset. Verum subvenit in
tempore pupillorum parens atque tutor
omnipotens Deus, spretumque fovit be-
nignè sua spe, & abjectum sublevavit
ac restituit; ut verè de me prædicare
possem. *Pater meus & mater mea derel-
iquerunt me;* *Dominus autem assump-
tus* b*Ad paucissimos enim redacta erat*
nostra omnis cognatio, atque illi immi-
pceptem diuturnæ tutelæ necessitatem
magno studio defugiebant. Habebat
cum in matrimonio amitam meam Ægi-
diam Huetiām Ægidius Macæus, pro-
ptereaque ad eum proxime ventura erat
hereditas nostra, si ipso sororumque
mearum interitu deferrera fuisse. Agna-
tos autem, inquit Justinianus, quos ad
hereditatem lq*recepit, eosdem & tutores esse*
jussit; quia plenique ubi successionis est
emolumens, ibi & tutela onus esse de-
bet.

2. cap. 211. 3. cap. 212. 4. cap. 213.
Psalm. 26. 10. 2 Instit. libr. 1. Tit. 17.

bet. Fuit autem Macæus ille exquisita Mathematicarum disciplinarum, & sideralis imprimis scientiæ, cognitione per- cœbris, quam & eruditio Opere nobilitavit de motu Cometæ, qui in cœlo visus est Anno MDCXVIII. comparatis ad id & accuratâ operâ fabrefactis instrumentis, quæ ad me tandem pervernerunt cum omni ejus supellectile mathematica, Danielis Macæi beneficio, qui Ægidii filius fuit. Verùm, ne quid dissimulem, visus est Ægidius Genethliacorum vanitati, vel fatuitati potius, nimis favere. At is affinitatis nostræ im- memor, nec ulla officii sui ratione habita, & suæ præterea artis dulcedine captus, jacturamque ratus quicquid ei temporis adimeret impendens tutelæ nostræ onus, tam grave, tamque diuturnum veritus, unde in alias distrahe- retur curas, huic sese, quocunque tan- dem modo posset, subducere statuis. Lutetiam ergo confugit ad amicos, quo- rum auctoritate dum rem tentat effice- re, tetro illuc implicitus morbo, fato functus est, nondum senex.

Interea verò dum de tute in locum matris meæ subrogando disceptatur, de-

ductus sum in domum Macæi, ejusque uxorem amitam meam educatricem habui. Vicinum erat domui huic Monasterium Patrum Crucigerorum, quorum uni cum ingenuis aliquot pueris traditus sum, puerilibus literarum præceptis imbuendus. Tametsi autem homo mitis erat, nullaque in me instituendo asperitate utebatur, memini me tamen, qui inter blandissimos matris complexus educatus fueram ad hanc diem, hominis externi exhorruisse supercilium atque vocem, & ad æris Campani sonum, quo vocabamur ad scholam, jam grandiorem natu, post annos aliquor, toto corpore cohorruisse.

Confluxerunt interea Cádomum propinquai nostri superstites, quicunque legitimo cognationis gradu attingebant familiam nostram, ut educationi & institutioni nostræ prospicerent, & ante omnia tutorem crearent. Ad id ex Pontaudomarenſi tractu, qui Cádomo distat dierum duorum itinere, accitus est cognatus quidam noster, vir bonus, & in rebus agendis non inexercitatus; & id magno sanè rei nostræ familiaris dispensatio, qua sumptus præbente administran-

stranda jam tum erat tutela nostra ab homine externo per crebra itinera, longamque ab ipsius lariibus absentiam, & Cadomi commorationem. Nec diu tamen ipsum munere hoc defungi passa est immatura mors, & in locum ejus suffectus est Daniel Macæus Aegidii filias. Visum autem fuerat omni huic propinquorum nostrorum coetui ablegandas esse Rothomagum sorores meas, & in convictum tradendas religioso Dominicanarum puellarum sodalitio, inter quas jam pridem Christo nomen dederant materteræ nostræ duæ virgines ximiae pietatis. Nuperrimè autem obserat alia matertera nostra Catharina illa Pillonia superius à me commemorata, Cadomi olim nupta, pridem vidua, quinque filiorum mater, jam adolescentium, & me aliquot annis natu grandiorum. Adjunctus sum illis in contubernium & studiorum communionem. Horum nonnulli adibant jam scholas publicas: alii, mei ferè æquales, domesticâ disciplinâ imbuebantur ab optimo Sacerdote, informandæ ad Christianam pietatem puerili ætati, moribusque regendis idoneo, sed planè illiterato.

terato. Ita verò abhorrebat illi à literarum studiis, ut quotiescumque certis diebus atque horis repetendæ essent scholæ, detrudi viderentur in pistri-num ad molas versandas. Huic contubernio per totum sexennium mancipatus studiis humanitatis incubui. Tunc autem factus jam grandior, & etiamnum tamen admodum puer, deductus eram in Collegium Regiomontanum Cadomense, & in disciplinam traditus Patribus Societatis Jesu, Collegii Rectoribus; quorum cura literarum humaniorum præceptis instructus sum per quinquennium; Philosophiae verò institutis per triennium. Quod nisi illi, indole forsitan mea ad bonas literas prona delectati, monitis suis & adhortationibus me languentem excitassent, si quid erat in me boni, id omne domesticonum exemplorum perversitate fuisset extinctum. Nam cum invidiam illorum excitaret amor ille literarum qui in me erat, nihil prætermissum ab illis est, quo me averti posse crederent à studiis: libri mei subrepti, chartæ concerptæ, vel aquâ perfusæ, vel sevo illitæ, ut scripturam nostram respuerent; cubiculi nostri

nostri occlusæ fores , ne dum ipsi ludo
darent operam , ego illic cūm libello de-
litescerem ; quod & sæpe factum à me
deprehenderant. Cūm autem rure age-
remus , per autumnales ferias , tum ve-
rò nefas esse putabant libros attingere ,
totosque dies , vel lusitando , vel venan-
do , vel deambulando duci jubebant.
Me verò cùm alia traheret voluptas ,
antequam excitati essent è somno , exo-
riente Sole , domo clam egressus , vel
condebam me in sylvam , vel raptim
certè opacam aliquam sc̄ctabar umbram ,
quæ me placidè legentem & studentem
ab oculis eorum protegeret. At illi me
diu per dumos quæsitum , & velut in-
dagine cinctum , extrahebant tandem è
latibulis , vel lapillorum , madentium ve-
glebarum jactu , vel aquâ clam per si-
phones inter arborum ramos immissâ.
Sed quantum conatus nostros tardabat
condiscipulorum livor ac malignitas ,
tantum eos provehebat insitum mihi à
natura infinitum illud discendi deside-
rium , quod tam altè infederat animo
meo ab ipso yitæ ortu , ut facile conce-
deris multis gloriam literarum , si con-
stanti erga eas studio & incredibili amo-

re



re reliquos omnes superasse me prædicavero , jure id certè meo mihi assumere palamque vindicare posse videar. Atque hoc sanè inter præcipua , quæ Deus in me larga manu contulit, bona ponere debeo ; nam assidua hac studiorum contentione & nobilioribus curis ab intemperantia adolescentiæ & vitiis juventutis facile abstrahabar , in qua cæteroquin & vividæ naturæ fluxu , & acriori nec facile domabili experrectæ indolis impetu , nimis sæpe jam inde delapsus sum. Ex hoc autem constanti literarum amore , & assidua studiorum exercitatione , præter infinita alia percepta à me commoda , vel id unum plurimi facendum judico , quod nulla unquam me vitæ cepit satias , nullum hominum rerumve tedium ; quod nimis sæpe sibi contingere vulgo conqueri reliqui mortales solent , gravissimaque mihi præ reliquis omnibus semper habita est temporis jactura , quam assidua diligentia & contentione sarcire conabar. Ac mentini in me admodum puerum , neccdam primâ literarum notitia tinctum ; si quem fabellas ex libro prælegente in audiiebam , magnam incessum cupiditatem fa-

Facultatis hujus adipiscendæ, cùm repu-
 tarem beatum me fore, si absque exter-
 na ope, meoque marte hujusmodi acro-
 matis oblectare animum possèm. Post-
 quam deinde legendi, at nondum scri-
 bendi peritiam sum assecutus, si quan-
 do videbam quempiam literas ad se scri-
 ptas resignantem & legentem, sic me-
 cum ipse cogitabam, magnæ id mihi
 voluptati futurum, si congerronem mi-
 hi meum sicut alloqui & compellare lice-
 ret. His ergo desideriis acuebantur stu-
 dia nostra, atque ita porrò in Gramma-
 tica, reliquisque disciplinis, eaussas mi-
 hi ipse fingebam, cur eas quoque cona-
 ger accipere. Nec id fugiebat Præcepto-
 res nostros, qui egregiæ faventes pueri
 voluntati, per quinquennale illud infe-
 riorum scholarum curriculum, vel pro-
 sequebantur munusculis, vel propositis
 ad conflictionem præmiis decorabant.
 Cujusdam etiam tam tener in me ali-
 quando animus fuit, tanta charitas, ut
 cùm inter lusus pueriles fortè jactu la-
 pidis gravissimum capite vulnus accepis-
 sem, ad rei nuntium periculo meo val-
 de exterritus sit, adeoque commotus ut
 morbo statim correptus & ipse sit, &
 in

in præsentissimum vitæ periculum ad-
ductus. His sublevatus præsidiis æqua-
lium meorum livorem facile poteram
contemnere. Hoc igitur nobile Gymna-
sium Cadomense, hanc adolescentiæ meæ
palæstram , & amavi semper , & quo-
tiescunque ejus revisendæ potestas fuit ,
ejus conspectu valde sum delectatus , ut
juvenescere , & ad præteritos vitæ annos
redire mihi visus sim.

Hoc ipsum verò quod de se prodidit
Augustinus¹, in his studiorum primor-
diis odiisse se literas Græcas, idem mibi
quoque usu venit ; sed earum demum
utilitate perspecta , sarcire hoc damnum
magno subinde labore contendi. At acri
interim ferebar in Poëticam impetu , ac
velut afflatus quodam percita æstuabat
mens nostra , ponebamque summum li-
terariæ laudis apicem in versibus expe-
dite pangendis , ut quodcunque occur-
reret argumentum , facile id carmine
complecterer , & quidquid dicere cona-
rer versus esset ; non tām de accuratione
& elegantia , quām de copia & facilitate
sollicitus. Et quoniam priscarum fabu-
larum sale perspersam & conditam esse
de-

¹ **Augustin.** Confess. libr. I. cap. 13.

deprebenderam veterem omnem Poësim, perdiscendas eas mihi proposueram; nec inter sodales meos facile reperisse, quemquam harum notitiâ melius instrutum; & tulisset forsitan bonam aliquam frugem felix illa ad Poësim indoles, si non perversis incauti Präceptoris, qui tum me erudiendum suscepserat, consiliis fuisset depravata. Is enim excussis è manibus meis Virgilio, Ovidio, Horatio, aliisque certissimis ad Parnassum ducibus & magistris, ad quorum imitationem vel tum maximè instituendus eram & excitandus, subjecit mihi leves quosdam & ignobiles ævi hujus Poëtas, Italos, atque Belgas, ingeniosos quidem & argutos, atque ab acutis & vibrantibus sententiis laudem querentes, depravato jam tum carminis gustu, postquam à simplici illa, grandi, & pudica priscae Poëseos majestate degenerare coepit ætas recentior, vero legitimi & sani carminis lepore extincto. His lautitiis, quasi crepundiis, captus puerilis animus à recta via facile deflexit, nec antè agnoverit errorem, quam ætate maturior maculosum ac fucatum carmen sciret ab eo seponere, quod naturali pulcritudine exsurgit.

Octo

Octo annos natus eram , cùm sacro
chrismate delibutus Confirmationis fa-
cramentum accepi à Johanne Petro Cal-
musio , Bellicensi Episcopo , sanctitate
vitæ , ingenio , eloquentia & scriptio-
num copia venerabili , cui longo pòst
tempore successi in Abbatiae Alnetanæ
administrationem. Intra decursum noni
ætatis meæ anni correptus sum morbis
puerilibus , quos Variolas & Rubiolas
Vulgus appellat. Pueriles dico , quam-
vis experientia nos jampridem , maximè
verò postremis hisce annis , docuit esse
illos omnis ætatis. Docuit nos quoquè
Historia valde eos falli , qui expertes it-
lorum Veteres fuisse censem. Faten-
dum quidem levissima ac penè nulla eo-
rum apud Græcos & Romanos , ac
præsertim antiquiores extitisse vestigia ;
nec notatum apud eos quemquam à de-
formitate oris , quam inustis & excavati-
tis in facie punctis solent relinquere.
Neque sanè morbi hujus meminerunt
vetustiores Medici : nam vari illi , quos
commemorant , ex quorum nomine pro-
fluxit variolarum nomen , maculæ qui-
dem erant in facie , at non à morbo im-
pressæ , verùm ab ipso ortu innatæ. Li-
qui-

quidò id probat Ciceronis jocus in *Servilium Isauricum*, qui cùm hujusmodi varis esset deformis, animo autem parum constans, *Miror*, inquit, *quid sit quodd pater tuus, homo constantissimus, tñ nobis Varium reliquit.* A patre igitur, ab ortu scilicet, non à morbo varius relictus est. Quod à Quintilianο¹ proditum, ad variolarum morbum viri docti perperam retulerunt. Atque hinc Vari, & Varii, & Vareni in veterum familiarum Romanarum nomina & cognomina abierunt. At non inde tamen liquidò colligas, nulla proksus vetustis illis temporibus existisse morbi hujus indicia. Rariora fortasse fuerint apud Græcos & Romanos: nam & Gentes alias sciamus Variolarum hodieque esse expertes: cuiusmodi feruntur esse Circassi²; vel ob cæli temperiem & salubritatem, vel ob majorem parentum in educandis liberis curam, certaque ad præcavendam mali hujus contagionem adhibita remedia. Serius fortasse fuerit apud has Gentes exortum, qualia ante suam ætatem produisse priscis seculis incognita nar-

¹ Lib. 6. cap. 3. ² Memoir des Missions du Levant 12°. part. 2. pag. 120.

rat Plinius ¹, & qualis postremis hisce temporibus fuit in Europa lues venerea. Sed aliquot post Christum annis erupit demum pestis illa, quæ describitur à Vettio Valente Antiocheno Astrologo in Astrologiis, & ab Aëtio Amideno ², quorum ille Hadriani ætati par fuit, (quem Latinitate à me donatum in lucem dare olim habueram in animo) hic suppar Constantino. Εὐθεματικές Variolas appellant, & Rubiolas ξανθίματα, & pueriles morbos esse agnoscunt. Sub initia quoque sexti post Christum secuti Variolas vehementer infestasse Galliam & Italiam legimus in Marii *Chronico*. Addam præterea, (si modò de boni Lectoris licentia ausim evagari extra metas hujus instituti), legi apud Gregorium Turonensem ³, temporibus Childeberti Francorum Regis, sub finem sexti à reparata salute seculi, ingentem apud Francos stragem edidisse morbum hunc: *Magna*, inquit, *eo anno lues in populo* fuit, *valetudines varie*, *miline*, *cum pusulis & vesicis*. Valetudines varias & milinas appellat morbos exortos, cum varis

1 Libr. 26. cap. I. pag. 441. 2 Libr. 2,

3 Libr. 6. cap. I.

varis similibus granorum milii, *κέγχροις
ταυτίαις*, quales erant parvæ illæ pustulæ
ex herpete prodeentes, quas ex acri &
calida bile in cutis superficie oriri ait
*Actuarius*¹. Unde liquet vanam esse
eorum conjecturam, qui pro vocabulo
milinae, à se non intellecto, imperite
subjecerunt *malignæ*. Docet nos quoque
Francica *Historia*² Balduinum Belga-
rum Principem, reparatæ salutis Anno
962. peste hac esse consumptum. Quan-
tum grassata ea fuerit inter Saracenos,
vel inde cognoscitur, quod Calipharum
plerosque notas ejus & cavitates in facie
gestasse observatum est ab Elmacino³
& Abulfaragio⁴; quosdam etiam ei
constat fuisse extintos. In Ægypto
denique & in Oriente⁵, intra Tropicos,
valde frequens illa & mortifera est: at-
que ex Indis & Ægypto per bella Sa-
racenorum ad Occidentem pervenit.
Sed hæc obiter: nunc stadium decur-
sere pergamus.

Cum

¹ Περὶ ἀγρωτῶν μᾶλα, libr. 2. cap. 31.² Fauchet Antiq. Franç. libr. 12. cap. 15.³ Histor. Saracen. libr. 1. cap. 8. & 13. &
libr. 2. cap. 16. ⁴ Hist. Orient. Dyn. 2.⁵ Chronic. Orient. p. 71.

Cum primis literis operam darem in
 Collegio Cadorensi Societatis Jesu, es-
 semusque simul in condiscipulatu ego
 & Bernardinus Gigaltus Bellofontius,
 is qui postmodum Marescallus Franciae
 creatus est, domestico ille tum quidem
 Praeceptore utebatur Brebovid, subli-
 mioris spiritus Poëta, magnum deinde
 nomen vernacula Lucani interpretatione
 adepto. Atque ego tunc etsi nondum
 excesseram ex ephebis, eramque valde
 puer, pro eo tamen quo incensus fere-
 bar in Poëticam studio, facile animad-
 vertebam nihil humile eum sapere, sed
 supra Vulgi captum animos attollere.
 Itaque percontabar eum sèpenumero
 super veterum Poëtarum præstantia,
 sensusque ejus explorabam, ad quorum
 normam accommodarem meos. At fer-
 re profectò non poteram æquo animo,
 cum sondere illi agnoscere despectum
 Virgilium, eique ac cæteris quoque
 omnibus antiquis Poëtis Lucanum ante-
 ferri. Cujusmodi delirio laborantem vi-
 dimus deinde Petrum Cornelium, Co-
 micorum Gallorum principem. Sic quo-
 que Francicum Malherbam accepimus,
 nulli Lyricorum gentis nostræ secun-
 dum,

dum, ad Statii clangorem & crepitacula insaniisse. Adeò verum est, quòd sæpe alias expertus sum, rariores esse sanos bonorum Poëmatum æstimatores & judices, quam probos eorumdem artifices.

Sed & alium mihi tum videre contigit Florentis ingenii amoenitate & poëticis suavitatibus nobilem Johannem Franciscum Sarasinum, cùm patris sui exsequiis interesset, qui fuerat de Cadiensi Francicorum Questorum Collegio. Tum verò avidissimis oculis suspiciebam hominem ex oriente jam fama percelebrem.

Jainque nubiles sorores meæ, Maria & Susanna, Dominicanarum materteratum convictu exemptæ erant, & Cadum revocatae ad Ægidiam amitam, paucisque post annis in honestissimis matrimonii sunt collocatae: unde & plures procreati sunt liberi ex Maria, qui & numerosam ex se dederunt problem; & unus tantum filius ex Susanna, qui nec diu superstes fuit.

Emenso tandem politioris humanitatis curriculo, cùm jam maturus viderer Philosophiæ, etsi nondum excesseram decimum terium ætatis annum, da-

mnoso hoc consobrinorum mcorum solutus contubernio , in Antonii Hallæi Professoris Regii convictum & disciplinam transi , magno meo emolumento : erat enim vir ille impensè doctus , magnamque sibi famam pepererat poëtica facultate , quam editis sub fine vitæ Poëmatis suis valde insignivit. Inclaruerat quoque accurata Geographiæ peritiâ , quam & publicè iteratis prælectionibus docuit non semel in Auditorio Academiæ Cadomensis. At ego disciplinæ hujus eram valde rudis , nequid prima ejus perceperam elementa , tamque supinæ infelicitæ notam diutiùs inhærere mihi haudquaquam passus est Hallæus , quem cæteroqui discendi & sciendi moverat esse percupidum : atque hac etiam eruditionis parte publicis præceptionibus & institutione privata imbuendum me suscepit. Ergo ex domestica ejus & assidua consuetudine , non egregio solum auctus sum doctrinæ incremento , sed anteceptos à pueritia errores plurimos deposui. Accedebat singularis ejus benevolentia , vel potius pietas erga me , quam retinuit tam constanter ad exitum usque vitæ , ut cum animam ageret , oculi

oculis jam in morte matantibus , supremumque trahens halitum , adstantem sibi Galielmum Pyrrhonem , virum eruditum , à quo Claudio nus egregio commentario illustratus est , proprius ad se jussum accedere sic affatus sit : Optime omnium nosti , mi Pyrrho , quae fuerit mea , dum vixi , erga Huetium charitas ; tu velim certò ei signifiques , me morti proximum , memorem tamen fuisse veteris nostræ amicitiae , & enixè ab eo contendere , ut in ea colenda & retinenda sanctè ipse quoque , quod & hactenus fecit , perseveret . Quibus dictis placide ex vita migravit . Ego vero , ô purissima anima , mandato huic parui hactenus ; ac porro quoad vita suppetet , parere certum est : & si quid mea apud Deum vota precesque potuerint , omni eum obtestabor obsecratione , ut gloriae sue & æternæ felicitatis participem te faciat .

Quo tempore Hallæo traditus sum in disciplinam , Syvanum ille Collegium Academæ Cadomensis moderabatur , in coque Rhetoricam docebat magno Auditorum concursu Antonius Gosselinus , Ambianis ortus , Regias Eloquentia

Professor, idemque Pastor Cadomenis
Paroeciae beatæ Virginis. Græcis ille
Latinisque literis luculenter erat excul-
tus, & in erudiis Romanis antiquita-
tibus diu multumque versatus. Ac pru-
denter sane consuluisse existimationi
suæ, si se in earum tractatione conti-
nuisset. Verum cum ad scrutanda quo-
que Gallicæ vetustatis rudera suam con-
vertisset operam, Librumque scripsisset
super hoc argumento, indoctis quibus-
dam visus est satisfecisse proposito; at
peritioribus exagitandi sui ansam præ-
buit, ac Bocharto præcipue interioribus
& reconditis literis abunde instructo,
qui pererudita ad Mosantium Briosium
scripta epistola, stigmata Gosselino per-
petua imposuit.

Auspicatus sum per illos dies studia
Philosophiæ, ductu Petri Mambruni,
è Societate Jesu. Is post navatam Lu-
tetiæ magno applausu per quadriennium
operam in tradendis Rheticæ præce-
ptis, Cadomum tandem venit docendæ
Philosophiæ causâ, velut in nobilissi-
mæ disciplinæ sinu quietem capturus.
Is cum me traditum sibi discipulum
cognovit & amavit, & diligenu institu-
tione

tione sibi formandum proposuit. Me itaque vocavit ad se Scholis etiamnum vacantibus, seductumque monuit velle se ita mecum agere, quemadmodum actum est olim à Platone cum discipulis, quos, lege palam proposita & Scholæ foribus etiam præfixa, arcebat ab auditorio suo, nisi priùs aliquâ tinti essent Geometriæ peritiâ.

Cum ergo præeunte Mambruno leviter delibassem primum Euclidis Elementum ad sextam usque propositionem, eo relicto rus proficiisci coactus sum. At degustata vel primoribus labris Geometria, tanta mihi infedit præclaræ hujus scientiæ percipiendæ cupiditas, ut noctes atque dies consumerem in ea excolenda, & jam inde penè adspernarer reliqua studia, quibus hactenus fueram tam suaviter delinitus. Nec eam sâne impendi deinde operam Philosophiæ, quam postulabat rei dignitas & magnitudo, cum omnia mihi sorde rent præ Geometria. Enimvero magnopere id improbabat Mambrunus primus mali auctor, quod crebris admonitionibus emendare conabatur, meque ad officium revocare, cum diceret præposte-

30 . PETRI DAN. HUETII.
ra me agere , qui Philosophiam adspex-
narer præ Geometria , cùm Philo-
phiæ tantùm causâ vacandum esset
Geometriæ. At nihil his aliud effectum
est , quām ut cauſiū cum eo agerem;
studiumque dissimularem , quo arde-
bam , plusculumque temporis tribuerem
Philosophiæ , quoad peractum est sta-
tum hoc & solemne biennium.

Cadomum dēducta est tunc temporis
Dominicanorum familia , austeriori vita
adscripta , quæ collapsam in Coenobio
Cadomensi religiosam disciplinam ad
pristinam severitatem revocaret. Ita verò
novo hoc cultu & ad speciem pietatis
composito captus sum , ut in illum coe-
tum recipi magnopere concupiverim ,
atque id enīxè postulaverim à Præfecto
familiae , viro priscae sanctimoniae. Nec
ille certè abnuit , sed rem ægerrimè tu-
lit tota civitas , cùm me ab hoc homi-
num genere subdolè illectum suspicaren-
tur. Nec defuerunt , qui adirent homi-
num , gravissimisque verbis minas ei in-
tentarent , si incautum adolescentem per-
geret technis suis in fraudem prolectare:
sic enim sibi sine causa persuaserant.
Confanguinei verò mei intra aedes suas
me

me deprehensum, velut in custodia occlusum, pertinaciter, sed amanter tamen quantumvis renitentem detinuerunt. Atque ita interpellatum est propositum, Deo, uti quidem rebar, auctoritate suscepimus. Atque id quidem etsi à juvenili quadam levitate suscepimus vi sum est rauktis, mihi que adeò ipsi, postquam reclamantium una ore amicerunt suauis abjectum est, in contemptu omnipotentiae Dni vocata, me jam inde ad se benignè invitans, & à mundi sordibus atque fæce educentis, poteram agnoscerre. Nam vel à prima pueritia in Christi castra transire, ejusque militiæ adscribi non obscuris votis cupiebam, saepiusque erumpentes sentiebam piæ hujus voluntatis igniculos in intimis præcordiis, quos comprimebat procaecus indoles, inanibus desideriis ac futilebus mundi delinimentis obnoxia: quo ad tandem gratia victrix frenos injecte reluctanti, & adversus stimulum calcitranti, dominumque sibi penitus afferuit.

Tum verò admissus sum in plium illum Sodalitium, B. Mariæ Virginis celebrandis laudibus institutum in Collegio Cadomensi Societatis Jesu, ut & in

reliquis ejusdem Societatis domibus.
Nam cùm huic præslet Mambrunus,
sequum duxi eodem in capessendis cæli
viis, quo in emetiendo disciplinarum
curriculo, uti ductore.

Me vero ætate jam cautiorem factum,
prudentioremque rerum æstimatorem,
etsi minimè poenitebat positæ in Geome-
tricis operæ, agnoscere tamen tum de-
mum cœpi, quantum literulis nostris in-
tulissem damni neglectu Philosophiæ,
de qua dictum est ab Antiquis, bonum
nullum optabilius datum esse hominibus
Deorum concessu, neque porrò datum
iri. Quæ cùm sæpe, nec sine angore
animo revolverem, ita detrimentum
hoc fartum iri credidi, si à calce redi-
rem ad carceres, studiumque Philo-
sophicum denuo percurrerem. Cogitabam
enim me nondum excessissè decimum
sextum ætatis annum; cùm priscorum
illorum Philosophorum, quorum apud
nos tanta viget hodieque existimatio,
plerique jam grandes natu, ac penè se-
ries, Philosophiam attigerint. Accede-
bat Mambruni auctoritas, cuius amor
mihi in horas crescebat. Cùm ei itaque
consilium meum aperuissè de renor-
van-

vandis Philosophiae studiis , arctè me complexus , non sibi probari solùm rem dixit , sed se quoque jam antè habuisse in animo ejusdem suasorem fieri & impulsorem ; at ea , inquit , lege , ut ab oculis tuis removeas libros omnes ad Mathematicam pertinentes . Etsi gravis mihi visa est conditio , accepi tamen , totumque hoc Geometricum & Astronomicum choragium tantisper seposui . Hinc cœpi Philosophiam capessere non fegrñiter ; nec ad id parùm conducebant pristina studia , tenuia quantumvis & levia , potissimum verò præclara illa rerum cognoscendarum via , trita à Geometris . At ecce dum in hac palæstra me naviter exerceo , is ipse qui me ad eam revocaverat , idem ab ea me astraxit Mambrunus , & denuo Mathematica studia jubet retractare , æquum esse dicens aliquem me percipere operæ fructum , tam studiosè in hac disciplina collocatae ; optimumque factu videri sibi splendidam aliquam propalam aperire disputationem , in qua de omnibus nobilis hujus Scientiæ partibus publicè responderem ; perspectam sibi esse facultatem meam , nec sine laude rem abitu-

ram. Parui enimvero sapientissimi viri consiliis, cui melius cognitum esse me, quam mihi ipsi putabam. Habita est disputatio in magna hominum Cadomensis corona, miraque ipsis placere visa est novitas rei, cui simile quicquam in urbe non ineruditata factum nusquam acceperant.

In tanta vasto autem Mathematicarum artium campo, quem mihi ipse aperuebam, curriculi mei moderatorem atque ducem conciliavit mihi Mambrunus Ettardum Billium, Lotharingum, ex suo Sodalitio, qui tum Cadomi Theologiae Moralis praeceptis publicè tradendis vacabat. Fuit in hoc homine summa reconditarum disciplinarum peritia, quam ardens virtus singulari conjuncta modestia contegebat. Is ad hanc palestram diligenter me exercuit; longeque magis ad alia mihi profuisset tam excellentis doctoris institutio, nisi, sua cum pietate ad Americanarum gentium salutem rapiente, naufragio paulò post in Oceano periisset.

Affuit tum quoque Georgius Furnarius, ex eadem Societate, qui praeclaro Hydrographiae opere, veraculâ Lingua

quam edito, aliisque scriptionibus, quid posset in his studiis notum fecit. Ex ejus autem consortio multum profecisse me palam agnoscebam.

Nec minus mihi profuerat Petri Galtruchii, qui fuit Furnerii sodalis, consuetudo, viri diffusa eruditio, quae variorum operum, ac præsertim ad humaniores artes spectantium lucubratione Rempublicam literariam locupletavit.

Emissit in vulgus per illos dies Cartesius Principia factæ suæ, atque superioribus annis operam Philosophiae per triennium dederam, abundabamque præceptis & institutis disciplinæ hujus, vehementis mihi incessit cupiditas cognoscendæ Cartesii sententiarum: nec quicunque libri hujus compos factus, totum summa diligentia perlustravi. Nec facile dicerim, quantam admirabilitatem fecerit nova hæc philosophandi ratio in animo juvoni, & veterum Scientiarum rudi; cum ex simplicissimis & facilissimis principiis deprompta viderem speciosa miracula, & velut sponte extortam mandi hujus compagem, totamque rerum naturam. Ac per multos certè annos arctissimè devinctum incexit

B 6 duit

nuit Cartesianæ factionis studium; tum
principiè cùm per Hollandiam & Ger-
maniam viros graves atque doctos velut
fascinatione quadam tenaciter Cartesio-
viderem addictos; diuque insanientis hu-
jus sapientiæ consultus erravi, donec
maturescente ætate, totoque hoc doctrinæ
apparatu à fundamentis perspecto,
vela dare retrorsum, & cursus iterare
sum coactus, cùm inanibus structuris
nisi eam, totamque ab imo solo vacilla-
re certissima ratione deprehendissem.

At Mambrunus confecto tandem Ca-
domi Philosophico curriculo, idem Eu-
tetiae repetit atque trivit per annos qua-
tuor; ac inde Flexiam missus, reli-
quum vitæ tempus, quod novem circiter
annorum fuit, in docenda exegit
Theologia, illustriori auditorio quam
Flexiensi dignus: cùm privatum interea
oblectaret animum poëticis exercitatio-
nibus, eximiaque in hoc genere ederet
opera, quibus suus semper constabit ho-
nos apud sinceros Musarum cultores.
Neque porrò coalitam inter nos amici-
tiam minuit locorum intercapedo & ab-
sentia, quam solabamur uterque crebro
literarum commercio. Nec continere
me

me tamen ita potui, quin hominis complectendi desiderio victus, Flexiam aliquando ad eum excurserem. Quasi præviderem animo futurum non multò post, ut cruda eum mihi mors summo meo dolore eriperet. Haud minùs ramen viguit hactenus apud me, porróque vigebit suavissimæ nostræ necessitudinis recordatio; iisque apprecoabor terram levem,

— *Et in urna perpetuum ver,
Qui præceptorem sancti voluere parentis
Esse loco¹,*

ac verè parentem esse, non quidem corporis, sed mentis crediderunt².

Sub hæc ad scientiam Juris vocavit me mos vulgò receptus. Ac mihi profectò valde cordi erat hæc Romanæ sapientiae pars, quæ prudentum responsis & sanctionibus legum continetur. Verumtamen ex altera parte ad amoeniorum literarum delicias & antiquitatis notitiam retraxit me Samuelis Bocharti *Geographia sacra*, quæ tum excudi

B 7 cœpta

¹ Juvenal. Sat. 7. ² Quintil. lib. 2. cap. 9.

38 PETRI DAN. HUETII
coepit est Cadomi. Ex divite hoc autem Ebraicæ & Græcæ literaturæ penu, tum primum inopiam meam non intellexi modo, sed graviter quoque tali; sicque decretum est apud me, reliquis abstinere studiis, quoad illorum etiam non omnino rudit haberi possem. Mea mineram autem legisse me in decantata illa Josephi Scaligeri ad Doulam Epistola eum Linguarum harum planè inscium, cum jam novemdecim annis major esset, ad eas addiscendas nullo alio magistro quam scipio usum esse. Idem ego certè de me possum prædicare, meque mihi Ebraicam contexuisse Grammaticam ex analogia in libris Mosaïcis deprehensa: atque hanc deinceps Grammaticam ad indagandas verborum declinationes & radices erudiendas adhibuiisse. Cùmque Scaligeri veritate productus Graecam Linguam velut primo impetu arripere me posse sperasse, totumque Homerum condiscere uno & viginti diebus, reliquos verò Poetas Graecos omnes intra quatuor menses devorare, experimento tandem meo comperi inania hanc esse Scaligeranæ ostentationis specimina; qualia multa parsim adspicer-

adspersit Operibus suis vir ille, excellen-
tis cæteroquin doctrinæ & ingenii, sed
nimium admirator & prædicator sui. Ab
Homero quidem auspicatus, in reliquis
Poëtis Græcis evolvendis diligentem
operam posui, adhibitis veteribus Scho-
liis, quæ certi sunt fontes fabularis omnis
historiæ. Hinc ad Historicos me con-
verti, inter quos præfractiorem nactus
Thucydidem, eum tantisper seposui,
quoad consilium & opem præstante de-
inde Petavio, hujus salebras possem su-
perare.

Posteaquam autem pleniorema mihi
visus sum comparasse Græci sermonis
peritiam, periclitari facultatem meam
statui in Scriptore aliquo Græco-Latinè
reddendo, cujus nulla penes me esset
interpretatio. Hujusmodi erat Longi fa-
bula pastoralis, quam de Græca Lat-
inan feci, parvum gnarus, quantum Au-
ctoris illius, mihi ad hanc diem na-
quam lecti, impuritas & nequitia inter-
gros adolescentis mores posset inficere.
Ignotus erat ille & Bochanto, cuius ar-
bitrio permissa est à me, nec impreba-
ra, nostra haec è Græcis convercio.

Nec ita tamen rapiebat me literarum
Gra-

Græcarum amor , ut levius tractarem
 Ebraicas , cùm certas singulis diebus
 horas destinasse ad earum studium.
 Denum tamen pœnituit me tenuis hu-
 jus operæ , quæ molliori brachio con-
 ferri mihi visa est ad sacrarum litera-
 rum notitiam , quam postulabat gravitas
 rei. Eamdem igitur majore conatu
 post annos aliquot repetii. Exinde verò
 per continuos triginta annos nulla abiit
 dies , quin duas tresve horas studio
 huic impenderim , vel libris factis evol-
 vendis , vel terendis Rabbinorum scri-
 ptionibus , nullis absterritus vel itine-
 rum , vel negotiorum impedimentis : ita
 ut omnes divinæ Legis libros Ebraicè
 scriptos , quater & vicies à capite ad
 calcem hactenus perlegerim.

Quoniam autem rationem studiorum
 meorum expromere suma exorsus , adjic-
 iam id quoque , summas Deo debere me
 gratias pro collato in me singulari natu-
 ræ beneficio , cùm ita me finxit , ut non
 modò per florentes juventutis annos , vi-
 vidumque corporis robur , sed in effeta
 hac etiam ætate , nulla unquam affidui-
 tate lectionis , nulla sedentariæ vitæ de-
 fidia , nulla pertinacia lucubrationis de-

I Anno 1681.

fati-

fatigatus , aut victus tædio , aut otio
marcidus , sed vegetus semper & alacris
etiam post continuam sex septemve ho-
rarum contentionem , è libris discesser-
im ; lætus etiam nonnunquam , & mi-
hi Musisque cantans ; cùm alios omnes
studia tristes & languidos dimitterent.
Non satis ergo æuti mihi fuisse viden-
tur Medicorum filii , qui generale hoc
seitum invexerunt in vitam , otio debi-
litari corporis vires , motu ali & con-
firmari. Quàm multos novimus li-
teris deditos homines ad extremam se-
nectutem valenti corpore pervenisse ?
Jacobum Sirmondum eruditissimum vi-
rum saepe conveniebam adolescens ,
cùm jam esset centenario proximus ,
gravi licet & inexercitato at fano tamen
corpore , desidentemque fere reperiebam
inter libros , raro foras prodeuntem ;
nec aliud quidquam tribuentem animo
relaxationis , quàm quæ ex amicorum
ad se venientium colloquiis petebatur :
si modò relaxatio ea dicenda est , ser-
mones habere de rebus feriis & litera-
riis. Quàm multos vidimus integra va-
letudine decrepitos senes , forensibus ad-
dictos negotiis ; aut intra septa Clau-
stro .

42 PETRI DAN: HÜBLI:
strorum piam in quiete & religiosam
vitam certo & constanti tenore agentes?
quot sellularios opifices? quibus multos
è contrario aratores, venatores, viato-
res, equisones, lanistas, saltatores,
aliosque, quorum in motu tota ars ver-
fatur, fractis ante diem continua exerci-
tatione & labore viribus, ignavum & cf-
factum corpus sanctum tradidisse?

Obversabatur mihi interea ante oculi
les Geographia illa saecula Boeharti, in
qua odenda jaundiu prælia ferrebat
Hanc perlustranti mihi, & cum pau-
pertina mea & curta supellectile com-
paranti inexhaustam hanc sacrae & pro-
fanæ eruditionis congeriem, verè eacerat
αλγησεν ὄμματα, efficiebatque ut ege-
statis meæ valde me paeniteret. Tum
verò ita mihi visum est, si convenirem
ipse hoainem, & ad ejus me applicarem
familiaritatem, percepturum emolumen-
ti quidpiam ex tanta copia, & consilio
aut re adjutum iri. Nec mea me fefellit
exspectatio. Excepit ille me liberaliter
& benignè, certaque amicitiae jam inde
inter nos contrahendæ spes mihi appa-
ruit. Cumque tum maximè arderent
Gadomi controversiæ de rebus Christia-
nis

nis Catholicos inter & Calvinistas, quorum doctrinæ Minister erat Boehartus, ac quid suspicarentur secundis nostri homines de fidei meæ integritate, convenit inter nos, ut cautè & occultè, ac ferè noctu & fine testibus viscerem ad eum. Quanquam liquidò asseverare possum, in tam familiari plurimorum annorum consuetudine, nullam usquam habitam esse inter nos de rebus ad fidem Christianam pertinentibus & litigiosis, non dieo disputationem, sed ne colloquitionem quidem, atque id utrumque nostrum studiosè vitasse. Semel tantum delibata à nobis quæstio est de cultu imaginum, cum in Germania depictas & suspensas cerneremus tabulas in Lutheranorum templis; & leviter quidem delibata, atque amicè & circa omnem contentionem. Ac ne ad Observationes quidem meas in Origenem contradixit ille quicquam, cum eas submissem ejus examini, & multa tamen ius inessent capita controversiis illis obnoxia. Donec longo post tempore exasperatis animis, ob eas caussas, quæ mox referentur à me, disceptatum est à nobis super Origenis sententia de Eucha-

charistiae sacramento, & de invocatione Angelorum; & acriter quidem, & aculeatis apicibus. Quae quoniam edita sunt, & vulgi judicio exposita, nihil attinet pluribus explicare.

Cum me admodum adolescentem magno studio ferri videret Bochartus in literas Graecas, multaque de priscis Auctoriis Graecis vel ab eo quererem, vel observata à me cum eo communicarem, sponte currentem ultro incitabat ipse, & ad scribendum Graecæ literaturæ historiam, & Auctorum hujus Linguae seriem contexendam magnopere adhortabatur: ut quod in Historicis praestitum cum laude fuerat à Gerardo Vossio, idem à me fieret in reliquis Scriptoribus Graecis: opus ingens, magni laboris & temporis; utile quoque ac propè necessarium; sed quod ab alio quam à me suscipi mallem.

Immersi itaque me totum in Bocharti familiaritatem, omnisque ex ejus consiliis pendebat studiorum meorum institutio. Cum eum igitur ad se vocasset Christina Suecorum Regina, huic me itineris socium dedi. Quod priusquam narrare aggrediar, commemorandi mihi sunt

sunt egregii quidam viri, amicitia mihi devincti, ac ii præcipue qui doctrina sua & meritis gloriam literarum Cadomo egregie afferuerunt. Stephanus in his Cahagnesius, agnatus alterius Cahagnesii, à quo illustrium Cadomensem elogia non ineleganter conscripta sunt. Inter Epistolas Josephi Scaligeri, eam legi præcipue velim, quam scripsit ad Jacobum hunc Cahagnesium Medicum Cadomensem, cùm ab eo literas accipisset plenas humanitatis, & elegantissimam crumenam Phrygiano opere contextam; quo artificii genere Cadomum imprimis olim celebrabatur. Hoc autem munusculum Scaligero offerendum Stephano Cahagnesio, in Hollandiam studiorum causa proficiscenti, Jacobus tradidit. Is postquam reversus est Cadomum, adscitus & ipse est in Collegium Medicorum, eoque & amico & Medico usus sum. Multa autem de Scaligero memoriter & jucundè narrantem cum audiebam. Ac referebat primùm, statim atque perlata est ad eum erumena isthæc, & in mensa oculis adstantium exposita, venisse ad Scaligerum officii gratiâ Arausionensis Principis conjugem,

cam

camque munere hoc à Scaligero exceptam fuisse: cùm polleret autem juventus ille facultate aliqua pingendi, petiisse ab eo, ut sibi liceret effigiem illius coloribus adunabratam ad vivum penicillo exprimere; facile id concessisse Scaligerum, osque suum pingendum præbuuisse; cuius ego vultus ductos vidi in hac tabula, eorum non absimiles qui passim depicti visantur. Anno proximè sequenti, postquam fato concessit Scaliger, ad tristius aliud exhibendum ei in funeris pompa officium adhibitus est Cahagnesius. Nam cùm ad deferenda quatuor capita panni funebris, quo contegi solet feretrum, quatuor pro more eligendi essent honestiores viri, ministerium hoc demandatum est duobus nobilibus Gallis, quòd Gallus esset natalibus Scaliger; & duobus nobilibus Hollandis, quòd in Hollandia larem posuisset. Ex Scaligeræ item Bibliothecæ auctiōne nonnullos sibi comparaverat libros Cahagnesius, notas manu Scaligeri ad oram passim alitas preferentes, quorum & ipse mihi concessit usum, & ab ipsius demum filio, optimo viro, dōno datos accepi.

In consum quoque literiarum metu

rum

nisi opum venerant Epistole aliquot, ab eodem Scaligero diversis temporibus scriptæ Gallico sermonae ad Jacobum Dalecamopium Cadomensem, tūm cūm Lagduni Medicinam exiceret. Quo mortuo hæreditatem ejus creverunt agnati, & quidquid supererat ex ea Cadomum vehi curarunt. Horum beneficio pervenerunt tandem ad me Scaligeranæ hæ Epistolæ; ac nonnullæ præterea Cujacii Latinæ & Græcæ scriptæ, summa sanè elegantia, & quod magis etiam mirare, summa facilitate scriptæ, ac velut oscitanter & ab homine alia agente. Eximios etiam quosdam libros claris Scaligeranæ manus & doctrinæ vestigiis insignes, in auctiōne Bibliothecæ Heinssianæ à se redemptos, liberaliter misit ad me Stephanus Monachius. Existabat in his Opus *De emendatione temporum*, prima editionis, infraitis emendationibus, notis, & additamentis suecinctum, ex quo prodierunt subinde posteriores editiones.

Cadomi per hæc tempora literatura Græcarum laude florebant viri alii duo, Ludovicus Thorodeus Rothomagensis, & Jacobus Palmerius Grentomenilius Van-

Vandoveræus. Græca hic carmina pani-
gebat feliciter, quibus inerat & color &
sapor vetustatis, & superstites etiam in
affecta jam ætate juventutis igniculi.
Cujusmodi illud est, quod ad Bochar-
tum scripsit *de venatione rusticulæ*, cùm
ad eum mitteret geminas aves hujus ge-
neris; & aliud etiam, quo serenissimi
Delphini natales celebravit. Soluta quo-
que oratione Græca commodè utebatur.
Memini eum aliquando Vandoveræ,
quò visendi ejus gratiâ me contuleram,
prælegisse mihi narrationem quamdam,
Græco sermone à se compositam, ne-
que sanè inficietam, salibus inspersam Atti-
cīs, nec priscæ Græciæ elegantiâ ca-
rentem, quâ juveniles suos amores jam
senex referebat. Moliebatur ille hoc
tempore magnum Opus, *Græciæ veteris*
descriptionem, ad quam studia sua ferè
convertebat. Sed cùm res abiret in
diem, & vir ipse proveheretur in se-
nium, auctor ei magnopere fui, ut o-
missio grandi Opere, quod absolvī posse
ab eo minimè passura erat ingravescens
ætas, plurima in veteres utriusque Lin-
guæ Scriptores eruditè à se & acutè ob-
servata daret in lucem, atque hac opera
ob-

obsecundaret studiorum hominum desideriis & commodis, quorum intererat nequitam intercidere tot adtextas ad librorum ejus oras emendationes, & obscuriorum locorum interpretationes. Quo consilio à se primùm neglecto, subinde tamen usus est. Minime verò temperare mihi possum, quin novum quiddam & incredibile de hoc homine referam, qui jam grandis natu ac penè effœtus, cùm vitam rure ferè ageret inter viros nobiles rusticanos, à feroculo & petulante juvene Iesum sc factō vel dicto putans, hominem provocavit ad singulare certamen, ac vera virtute & vi ita perculit, ut ad vitam precariò & se postulandam, ensemque sibi tradendum adegerit. Aderat tum illic Vandoveræ Jacobus Palmerius alter, patre natus prioris hujus Jacobi fratre. Is tum juvenis eleganti pollebat ingenio, & ad fundenda ex tempore sermone vernaculo carmina ita à natura facto, ut quæ alii vix possunt extundere meditando, ludenti illi velut è perenni fonte profluenter.

Hoc ipso tempore eamdem describendæ veteris Græcizæ operam in se suscipit

C is,

50 PETRI DAN. HUETII

is, quem dixi, Thorodæus, cùm vix ullam agnosceret superesse spem tam vasti & ardui exspectandi Operis à Palmerio sene jam ferè decrepito. Rem ergo aggressus ipse est: nec certam & accuratam rerum notitiam adepturum se ratus est, ex sola veterum monumentorum lectione, nisi oculis ipse suis cerneret littorum, fluminum, & montium situs, ac dirutarum urbium vestigia. Profetus itaque in Græciam multa peragavit loca, rudera lustravit, intervalla dimensus est, omniaque retulit in commentarios, sibi postmodum usui futura, postquam tantis onustus opibus patriam repetiisset. Jamque affectum erat institutum Opus, mihiq[ue] ostenderat paratas ad editionem descriptiones Illyrici, Epiri, Peloponesi & Achaiæ; sigillatimque eas publicari suadebam, reliquis in aliud tempus sepositis, quasi praesagius futuri. Postquam enim excessit è vita, in domesticum ejus instrumentum omne, scripta, libros, chartas invaserunt hæredes, Librariorumque repudiarunt postulata, operam suam venditantium ad committendam typis *Descriptionem veteris Græciae*; malueruntque tot

an-

inorum, tot laborum, tot vigiliatum
perire fecutum, & consanguinei sui me-
moriam meritâ gloriâ fraudari. Fuit au-
tem vir ille Græcarum literarum appri-
mè peritus, meque ex ejus consuetudi-
ne diuturna, assidua & penè quotidiana
plurimū profecisse agnosco. Verum ut
erat alienæ industriae valde fastidiosus,
si quid tentarem Græco carmine lude-
re, & ad ejus referrem arbitrium, se-
vero id adspernabatur supercilie, planè
que vetabat ad veterem imitationem ad-
spirare, quoad longa & pertinaci exer-
citatione facultatem meam confirmassim.
Ego verò despicationis hujus pertæsus,
meaque mihi peritiae conscius, ac pau-
lo etiam fortasse confidentior, duo com-
posui Græca Epigrammata, quibus an-
tiqua adjunxi duo, ac duo etiam alia
modiæ ætatis; atque ea, ut casus tulit,
nullo servato temporum ordine descri-
pta & permista detuli ad Thorodæum,
& dijudicanda proposui, ut ab antiquis
illis internosceret, si posset, quæ mea
essent, periculumque faceret certæ suæ
hujus & argutæ perspicientiæ. Ægrè
quidem ille & invitus delatum recepit
arbitriam, sed parùm feliciter; nam

duorum meorum Epigrammatum alterum credidit esse vetus , mediæ ætatis alterum. Atque ita eadem propemodum arte delusus ille à me est , quâ olim Scaligerum Romæ ludificatus fuerat Muretus , confictum à se Epigramma , velut è vetustis membranis erutum obtrudens summo huic criticæ artis , qualem certè se ferebat , dictatori , qui & recentes ab incude versus pro antiquis habuit , vixque demum os sibi sublini sensit.

Utebar tum quoque familiariter Jacobo Grandorgæo Premontio , qui per idem tempus florebat Cadomi studiis Romanæ antiquitatis , veterisque rei numinariæ , ingenio præditus arguto & eleganti & urbano , cuius laudes olim persecutus sum alio opere , quod est in hominum manibus ; atque germano ejus Andreæ fraternalum virtutum æmulo , amico itidem meo , inscriptum est. Fecebat hic Medicinam Narbonæ per viginti annos ; cùmque Jacobum fratrem immatura morte præreptum accepisset , patræ suæ & familij reddere se coactus est. Illic suavis fuit inter nos multorum annorum conjunctio : nam tracta-

tractatione Philosophiæ, quâ unicè dele-
etabar, ac Physicæ præcipue, erat exer-
citatissimus, nec alienus cæteroquin à
studiis prisci ævi, & nummorum vete-
rum, quorum in Narbonensi Provincia
passim collegerat magnam vim, & ad
nos retulerat. At Jacobus Græcas omni-
no literas non attigerat, ac sæpe eum
admonebamus, ego & Thorodæus,
quantis careret suavitatibus. Sed quam-
vis crebris eum adhortationibus ad hæc
compellebamus studia, non leve inde
ostentantes ei & spondentes operæ pre-
tium, cuius & ipse spem animo facile
præcipiebat; adeò tamen reformidabat
laborem, ut bonorum illorum expers-
esse mallet, quâm novis curis exerceri.
Tantum tamen potuerunt assiduae nostræ
fusiones & convitiae, ut socordiam suam
expugnari tandem passus sit, cumque
demum pœnituerit inscitiaz soæ. Tanta
itaque contentione præteriti temporis
cessationem sarcire conatus est, ut hanc
quoque eruditionis partem sic assecutus.
Hoc exemplo excitatos memini à me
duos magnos viros ad Græcam literatu-
ram capessendam, alterum summum il-
lum ætatis nostræ imperatorem Ludo-

vicum Borbonium, Principem Considæum, cùm variâ præditum doctrinâ, tûm præcipue Romanæ antiquitatis callentissimum; alterum Montauserium, diuturno & quotidiano Latinorum Auctorum usu subactum. Verùm utrumque aliò abstrahebant graviores curæ, nec facilè ad Grammaticæ artis præcepta potuissent animum demittere. Ad ingenium tamen pristinamque segnitiem rediit Premontius, cùm ad patræ nostræ investigandas origines, posterisque tradendas frequenti Academiæ Cadomensis rogatu impelleretur; nec ego ad tractandum hoc argumentum antè adjeci annum, quâns operæ hujus susceptionem ejurassem, frustra causatus, instrumentum omne Cadomensis antiquitatis, diruptis per Anglicæ bella, aut igne consumtis priscis exemplaribus, perirecisse, neque ullam superesse vetustatis memoriam: cùm è contrario pertendere, hanc ipsam priscarum rerum ignorantiam, & publicorum tabulariorum ministerium, partem esse quæstæ historiæ, quam cognitionem qui foret assicutus, certè cum scire nihil aliud sciri posse, & in ea perscrutanda frustra perdi oleum.

& operam. Atque id optimè videbat Premontius, mecumque sentiebat, sed desidiae suæ vanum prætexebat colorem, tamque jocans excusabat adagio hoc italicico, *rem esse divinam nibil agere.*

Hactenus ita me sibi devinxerat amor literarum, ut quamvis sata in animo meo pietas erga Deum, hortatu Praeceptorum, fatis altas à pueritia radices egisset, ea tamen assiduo profanarum disciplinarum studio oppressa & defecta ecclesi rore, qui percipitur ex frequenti sacramentorum usu, ferè exaruerit. Accedebat æqualium meorum exemplum & consortio, qui commoda & oblectamenta vitae hominumque laudem appetentes, in suos mores errores que me facile pertrahabant. Confectabar itaque circulos hominum, & multò magis etiam caulierum, quibus placuisse certum existimabam urbanitatis argumentum. Nihil itaque eorum prætermittebam, quæ pertinerent ad earum permulcendos animos, non cultum corporis, non vestimentorum ornatum & elegantiam, non officiosos ad eas & frequentes aditus, non amatorios verbiculos, non molles suspirios, quibus am-

toria alitur væsania: id quod palam nec satis verecundè testatus sum apud Menagium per epistolam carmine scriptam, quæ trita est vulgi usu.

At parte alia Tutor meus defervescente videns meam adolescentiam, atque jam adesse tempus corporis exercitationibus idoneum, deduxit me ad lanietas & ad saltandi & equitandi magistros; nam & ipse rei equestris erat valde studiosus. Ac saltabam quidem in eleganter & inscitè: at in tractatione ludicra armorum & equitatione cæteris præcellebam omnibus, ad æqualium meorum & ipsorum quoque doctorum invidiam. Nam & tanta pollebam agilitate corporis, ut quemcunque poteram locum manu attingere, in eum me saltu attollerem; tanta quoque ad cursu velocitate, ut pone me relinquerem cæteros; & tanto etiam robore membrorum, ut cum aliquando ego & duo valentissimi viri, humi sedentes, baculum manibus hinc illi duo, inde ego solus apprehendissemus, haudquaquam mihi id extorquere, meque loco movere potuerint.

Jamdiu verò, atque etiam à pueritia, nandi

nandi artem mihi ipse sine magistro & sine cortice, sed casu quodam compa- raveram. Cùm enim per æstatem refri- gerationis causâ, sæpius in die, ut est mos puerorum, in obvios quosque la- cus & fluvios corpus solerem abjicere, contigit aliquando, ut ignota me com- mitterem amni, non tentato priùs vado, statimque in imum demersus versarer in extremis; donec periculi magnitudi- ne vehementer excitatus, per repetitos manuum pedumque nixus sursum attol- kerem corpus in summum aquæ, & li- bero aëre fruerer. Atque ita mea mihi cognita est nandi facultas, cuius planè me expertem putabam; adeò ut hoc ipso die profundum amnem nando trajice- rem. Jamque inde ex frequenti usu tantam assecutus fueram artis hujus scientiam, ut altissimorum fluminum ima subirem, & ostrea cruerem è fun- do, ac nemo inter æquales nandi peri- tior haberetur.

Sic exactis primis vitæ meæ annis, in eunte vicesimo primo, pro more in Neustria recepto, mei juris factus sum, & exii tandem è potestate Tutoris, à quo fueram parçè & duriter habitus,

atque etiam illiberaliter , ita ut ad tolerandas juveniles impensas cogerer mutuas ab amicis pecunias sumere. Quod parcimoniae genus , et si ad augendam pupilli rem familiarem videretur institutum , minimè equidem probare possum . cùm juvēnum infringat animos , inviteturque ad sordida facta atque indecoras artes , quibus inopiam sublevare possint. Tunc autem in re lautiori , alia animo agitare cœpi , mihiq; ante omnia vehementer incessit cupidus adeundæ Lutetiae ; cùm ob celebritatem urbis , tūm ad visendos Reipublicæ literariorum principes viros , mihi jam ante &c ex operibus & ex fama cognitos ; potissimum verò ad comparandos libros , sine quibus languere studia mea , ac penè interrupta jacere necesse erat. Illuc ergo provolavi magna alacritate ; majore quam ad Librarios . Verum citò exhaustum fensi , quidquid corum officinjs destinatum congesseram. Quod & alias mihi sequentibus annis sepiissime contigit : quidquid enim , meum etiam defraudans genium , poteram corradi , id universum abripiebant Jacobæi Bibliopolæ . Atque hinc potrò factum , ut per illos juve-

juveniles annos ferè inanis fuerit saccus-
lus meus & plenus aranearum. Contrà
verò ita locupletatum est penu meum
librarium, ut in regionibus nostris nul-
la alia Bibliotheca illud adæquaverit, vel
voluminum delectu, vel copiâ. In qui-
bus feligendis id potissimum secutus
sum, ut veterum omnium scriptorum
compos essem, nulla vel certè levi ha-
bita ratione elegantiæ tegumentorum,
sive concinnata ea essent ex pergamenis
membranis, sive pellibus Numidicis,
quæ suffenorum & publicanorum lau-
ritæ consecunda relinquebam. Jam ve-
rò, cùm conscius mihi essem, congesta
hæc fuisse à me, non ad vanam ostend-
ationem, sed ad meos usus, parùm
ognino laboravi de eorum nitore reti-
nendo: adeò ut si quid inter legendum
occurseret notatu dignum, sive ad scri-
ptionis emendationem, sive ad intelli-
gentiam locorum, id ad oram allinerem.
At ea me valde angebat cogitatio, cùm
præviderem tot annorum labore, tot
temporis paratam hæc voluminum con-
geriem, suavissimum mentis meæ oble-
ctamentum & pabulum, olim disting-
uum iri per angiportus, atque ita in

Librarium apothecas reddituram, &
in imperiti vulgi manus venturam. A
quo cum valde abhorret animus, ma-
lo huic prævertendum duxi, uti deinde
factum est a me, quemadmodum infrà
referemus.

Nec libris solum conquirendis utiles
mihi fuerunt itiones illae crebræ & man-
siones diutinae Parisiis : postquam enim
illuc adveni, magnæ mihi curæ fuit ex-
cellentes illos & claros viros convenire,
quorum tanta erat tamque insigni erudi-
tione parta existimatio : Sirmondum in
primis, Petavium, Labbæum, Vavaf-
forem, Rapinum, Cossartium, Com-
mirium. Ac Sirniendus quidem jam
nonagenario major, nihil tamen remit-
tebat de contentione studiorum, & com-
mentando ac scribendo postremum hoc
vitæ tempus tribuebat. Inerat præterea
in eo comitas singularis, & elegantia
morum ; ut hominem in aula utraque,
& Pontifica & Regia, diu versatum
facile posset agnoscere. Ego verò et si
multa de ejus benignitate audiveram,
præter exspectationem tamen ab eo hu-
manissime exceptus sum ; nam & pectus
& scrinia post primos ferè congressus

ape-

aperuit, meque & ad instituenda studia, & ad effingendos mores saluberrimis juvit consiliis. Absentem quoque suavissimis literis prosecutus est, multumque ex ea consuetudine percepit sem voluntatis & emolumenti, nisi paulò post abrepta ea fuisset inexpectata & propè repentina viri morte, quæ etiam in juvēne cruda videri potuisset. Præferebat adstrictiorem frontem Dionysius Petavius, & serium quiddam ac severum; quod diluebat tamen frequens usus. Ego autem ita eum deliniveram officiis & assiduo cultu, ut quamvis implicatus immenso *Theologicorum Dogmatum Opere*, quo Theologiam tricis Scholæ & pedicis expeditam ad liberos & patentes priscæ Ecclesiæ campos sanctorumque Patrum tritos vestigiis reocabat, non gravatè tamen se demitteret ad leviores studiorum meorum curas, & in iis penè redire videretur ad priores annos. Cùm itaque tum haberem in manibus Thucydidem, multasque hīc cùm alibi passim, tum præcipue in concessionibus obscuras habeat abditasque sententias, vix ut intelligatur, quemadmodum à Cicerone adnotarum est, quo-

tiescunque hujusmodi occurrebat quipiam, recurrebam statim ad Petavium, tanquam ad Pythiæ tripodem. Ille vero delectari videbatur importunitate mea & protervitate, bonaisque sibi horas subripi facile patiebatur.

Cum alius etiam viris à me commoratis magna mihi intercessit conjunctio; & cum Rapino præsertim ac Commirio, quorum in Poëticis erituit industria. Quid singuli autem in literis potuerint, lucubrationibus ipsi suis, & in sua quisque arte, palam sunt contestati. Nam cui intentatum est vastum illud cruditionis pelagus Philippus Labbaeus? ecquod huic ipsi intentatum est disciplinæ genus? Hujus æquare famam, & fortasse etiam superare poterat Gabriel Cossartius, felici quidem præditus ingenio, sed impatiens laboris, neque saus temporis parcus, tantumque dotraxis de gloria, quantum remisit de studiis. Celebratus est in primis extemporali oratione, quâ super controversiis quibusdam Academicis contumeliosam claris cujusdam Professoris declamationem publicè exceptit in ipso temporis articulo, acriterque & disertè confirmavit, plau- dente

dente & mirante magna procerum Academie Parisiensis corona. Intra Poëticæ cancelllos ferè se continuuit Franciscus Vavassor, puri sermonis amator, aucteps elegantiarum Romanarum, quas tam rigida accuratione consecutus est, ut dum periti Grammatici affectat laudem, fracti & clumbis Poëtæ dedecus sibi conspicit. Amavi tamen hominem, ab eoque ita amatus sum, ut lucubrationum etiam suarum, ac carminum imprimis participem me & arbitrum esse vellent. Neque multò longius evagari sunt ultra Poëticæ metas Reginus & Commiriūs. Levia sunt enim quæ Gallicè scripsit Reginus, nec ad ea tractanda satis ample doctrinæ compaginatu instructus accessit. Ac ejus carmina leporis sanè sunt &c suavitatis plena, & facilis ac faventis Musæ nata auspiciis: etsi adjunctam non habent vim Poëticam, & furorem illam, sine quo negabat Democritus Poëtam magnam posse quemquam existinare. Et excellētatis quidem hujus viri jucundissima mihi est recordatio, ejus præclara in me extitentes merita, quemque superat, quoad uixit, observauerit colui. Plus remorum inferat Joan-

Joannis Commirii carminibus , nec minus facilitatis ; nam promptus fuit in eis fingendis ad extemporalitatem usque, ut ludibundum eum viderim nonnunquam , & in uno pede stantem , cùta versus funditaret velut ex scatebra.

Gratissimum tum quoque fuit illic reperisse Stephanum Agardum Campensem , Bituricensem , ex eadem Societate, gestis omnibus Ordinis sui magistratibus conspicuum , quem olim in Collegio Cadomensi docentem Rheticam noveram puer. Erat in eo præter formæ dignitatem decorum ingenium , liberalibus doctrinis expolitum ; capax verò supra quam credibile esset , & tenax memoriæ comprehensio , quam & studio afluerebat & arte ita auxerat , ut ingentem vocabulorum numerum sibi semel recitatum , eodem ordine fideliter redderet ; ad rei miraculum stupentibus universis. Magnam ei præcipue pepererant inter suos commendationem Jansenianæ concertationes , cùm libris sub Antonii Ricardi nomine editis demonstrare instituisset , Jansenium dogmata sua ex Calvinianis fontibus derivasse.

In hoc doctorum hominum Sodalitio,
quo-

quorum in notitiam veni, partes quoque suas egregiè tuebatur Johannes Garne-rius, cum aliis jam scriptionibus clarus, tūm multò futurus clarior editione Ma-rii Mercatoris, qui Augustini temporum æqualis nefarium Pelagii dogma ac Ne-storianum etiam acriter oppugnavit. Nec in hac excellētis viri commemo-ratione præterire sine piaculo possum præstitam mihi ab eo sedulam opem & fidelem operam, cùm exponerem Ori-genis historiam resque singula: suo à me collocandæ essent ordine, & ad tem-po-rum notas accurate revocandæ.

Nec prætermittendi, quos extra hanc Societatem eruditionis laude & nominis claritate florentes hoc tempore mihi ad-junxi. Erant in his præcipui Puteani fratres, Petrus & Jacobus, quorum certè nomen vera laus est; quos Majorum & multò etiam magis propria ipsorum vir-tus nobilitavit: nam præter suavissimos mores, eximiae fuerunt ornati doctrinæ præstantiâ; ac Petrus potissimum, di-gnitatis Imperii Gallici & immunitatum Gallicanæ Ecclesiæ vindex acerrimus. Quoniam autem illorum fidei commissa erat opulentissima Bibliotheca regiae ga-

za,

za, illuc ad eos ventilabant diebus singularis viri plerique famæ celebritate conspicui, quorum ego quoque eruditis intereram sermonibus, magna animi mei voluptate: præsertim postquam apud illum hunc coctum, pro singulari sua humanitate, exornavit me commendatione sua fratrum par nobile; adeò ut sine ullo meo labore, ac præter meritum, tantorum virorum partam mihi amicitiam, nonenque meum eorum albo adscriptum agnoscerem. Eminebat inter illos magnâ poëticæ artis præstantia. Franciscus Guyetus, affectator boæ antiquitatis, prisorum vatum æmulus, nec iis sanè multum inferior; ne quidem si desideres venerandum illum virum veteris Romæ; adeò lenocinatur auribus ore rotundo & concinnitate numerorum. Criticen quoque excoluit & exercuit, at nimis licenter; nam in Veterum scriptis dijudicandis tantum sibi juris tribuit & auctoritatis, ut in eos graffari videatur. Vidi ego manu ejus adnotatas paßim emendationes ad oras Virgiliani exemplaris, quo solebat uti. In eo certè recensendo tam immoderatè versatus est, tamque foedè la-

hoceratum dedit, ut si ita disceptus pro-
 diisset, Virgilium utique quæstiones in
 Virgilio. Tum quoque valde familiariter
 usus sum Ismaële Bullialdo, qui
 tunc erat in contubernio Putcanorum.
 Nec quamvis disjuncti postmodum ho-
 cis essemus, cum ille Lutetiam, ego
 Cadoganum sedem haberemus studiorum,
 necessitudinis intermissus officia: ut-
 bamus enim frequenter commodo litera-
 rum, nec ibuna de studiis meis celabam
 quicquam; nec ille me carum rerum,
 quæ gerebantur inter doctos, ullam ne-
 scire pariebatur. In quo sane valde dis-
 par erat utriusque nostrum conditio:
 quid enim jucundum proficiisci poterat
 ab homine provinciali, ad eum qui in
 ipsis eruditionis sedibus collocasset do-
 micilium, nec ullius caspers esset eru-
 ditionis? In primis vero quem digni-
 tatis gradum inter insignes aetatis hu-
 jus Astronomos, consecutus sit, facile
 intelligitur ex *Astronomie* ejus *Philo-*
laica, quâ veterum Pythagoreorum si-
 deralem scienciam jamdiu obsoletam ita
 instauravit, ut ejus conditor haberi pos-
 sit. In Geometricis vero quid posset
 commentacione sua *De lineis spiralibus*;
 quid

quid in Philosophicis editione libri *Ptolemei περὶ κριτηρίου καὶ ηγεμονίκου*, adjunctaque interpretatione & Notis ; quid in mitioribus humanitatis literis , & familiari sermone , & scriptis quaquaversus epistolis abundè comprobavit.

Cùm primùm autem Lutetiam veni, nemini me adjunxi arctius quàm Gabrieli Naudæo, mihi jampridem ex noninis existimatione, & multo etiam magis ex scriptionibus ejus cognito. Procurabat ille hoc tempore Mazarinæam Bibliothecam , quam summo ipse labore , multisque per Europam itineribus collegerat, atque in eam provexerat amplitudinem , ut exceptâ Regiâ Bibliothecâ se nulla huic æquaret in Gallia. Nec multò pòst tamen inter civiles tumultus factum est , ut per sectionem vendita distraheretur. At ego interea cùm libris coemendis sumtuosius incumberem quàm pateretur res mea, ille me revocavit intra modum , ope sua juvit & consilio , & amicè submontuit ut caverem à calliditate Bibliopolarum.

Non multò antè venerat Lutetiam Petrus Lambecius Hamburgensis, Lucas Holstenii sorore natus , qui postremis

mis hisce annis Imperatoriam Bibliothecam Vindobonæ cum laude administravit, ejusque indicem contexuit bonæ frugis plenum. Statim autem atque Lutetiam attigit, lucubrationes criticas editit ad illustrandum Aulum Gellium, seque ad Naudæum applicavit. Ad quem cùm sæpe ventitaremus uterque, illic primùm notitia mihi cum eo fuit, quam stabilis deinde consecuta est amicitia, conciliante Naudæo, qui juventute nostra bonis addicta literis ita delabatur, ut sæpe nos in suburbanum suum simul invitaret, & videretur nobiscum juvenescere. Cùm verò Hamburgum venissem post annos aliquot, committere nolui, ut illac transirem infalutato amico meo Lambecio; à quo exceptus sum sanè quād lautè & liberliter: ac donatus etiam luculento ipsius *de Originibus Hamburgensibus* Opere.

Per eos dies, quos in amplificanda Bibliotheca mea consumebam Lutetiae, ad vesperum aliquando domum redux, cùm partas opes recognoscerem, hæsi potissimum in pervolutandis *Theologicis Dogmatibus* Petavii, recens editis, quorum magna erat apud doctos homines

com-

70 PETRI DAN. HESTER
commendatio. Me etenim, qui & Aucto-
rem nostram, & amarem, & ficerem
plurimi, cum materie dignitas, tum
nitor dictio, & passim diffusa erudi-
tio, totas noctes attentum tenebant & af-
fixum. Verum adhibita ab eo in dogma-
tibus comprobandis argumenta pon-
deribus meis examinanti mihi, si quod
forte visum erat infirmius, vacillabat
tum quoque apud me dogmatis quod eo
nitezatur fides, cum nihil ad ejus de-
fensionem certius afferri posse putarem
quam quæ à tanto viro perpensa re fue-
rant proleta. Quæ temeraria opinio,
juvenili levitate suscepta, pristinam vacan-
de quibusdam sacrosanctæ nostræ Reli-
gionis capitibus sententiam, præstissimam
que iis hactenus à me reverentiam con-
tagione sua labefecit. Nec antè conva-
lui ex hoc morbo, quam clarioribus de-
cælo radiis collustrata mente mea, of-
fusæ discuterentur tenebræ, firmieri-
busque ac profundioribus radicibus mea
fides insisteret.

LIBER SECUNDVS.

CVM magna ditatus librorum acceſſione Cademum rediſſem , iisque per otium jucundè fruerer , eſſemque molliter in meis ſtudiis , magnam de ſe famam per orbem excitabat Christina Suecorum Regina , cuius inter cæteras virtutes celebrabat in primis literarum amor , ſummuſque in Literatos favor & liberalitas , quos illa accerfebat ad ſe undique , Attalicis , ut ferebatur , conditionibus ; Cartefium in hiſ , Salmaſium , & Iſaacum Vofſium , quo ad condicendas literas Græcas , & priscoſ utriuſque Linguae Auctores pervolutandos , intelligendosque duce utebatur , nec ullum abire finebat diem , de quo demtas optimas horas cum illo unā privatim ſtudiis non tribueret ; & tanta quidem tamque affidua contentione , ut ne ſomno quidem parceret . Vnde paulatim debilitatis viribus , & tentata febribus valetudine , languens marcescebat corpus , fruſtra reclamantibus Medicis , & ſaepè etiam ab ea irriſis . Cūma

A.D. 1652.

Vofſ.

Vossium autem multa de Bocharti doctrina prædicantem audiret, videndi ejus & alloquendi tantum in ea commovit desiderium, ut hominem ad se advocaverit honorificis verbis, crebrisque & urgentibus Vossii literis jusserit excitari. Quibus ille delinitus, quamvis publico Religionis suæ illigatus ministerio, & carissimæ familiæ necessitudinibus devinctus, studiorumque & placidissimi otii assuetus deliciis, omnia hæc posthabuit voluntati Reginæ, nec fuit deterritus vel longinquitate itineris, vel temporis dispendio, vel difficultatibus rerum. Jam dīta verò erat, cùm magna me tenebat Italiæ perlustrandæ cupiditas; jamque eram in procinctu cùm Suecicæ profectionis suæ consilium mihi aperuit Bochartus, nec obscurè me ad itineris hujus societatem invitavit. Ego verò tergiversari primū; Italiæ auctoritatem, & ver penè perpetuum, totque venerandæ vetustatis monumenta, quibus tota referta est, Suecicæ cautibus & barbariei opponere. Ille contra Batavicæ terræ miracula arguto carmine à Scaligerio celebrata, tot illustres in literis viros, quorum illic magnus erat his tem-

pe-

poribus proventus, tot splendidas urbes,
 tot etiam vestigia Gothicæ antiquitatis
 in Daniæ saxis exstantia. Quid multa?
 vixius tandem Bocharti, non tam ratio-
 nibus quam amicitia, dedit manus, me-
 que viæ futurum comitem spondi.
 Verum cum ad iter accingeremur uter-
 que, improvisus invasit me morbus, &
 consilia mea disturbavit. Jamque dies
 dictus erat profectioni, nec discessum
 procrastinare poterat Bochartus: nos
 enim in portu Franciscopolitano, ad
 ostium Sequanæ, præstolabatur Batavi-
 ca navis, vela in Hollandiam facere pa-
 rata. In viam ergo se dedit Bochartus
 magno meo dolore; & majore etiam
 futuro, ni me ea sustentasset fiducia,
 non longinquum fore hunc inter nos di-
 gressum. Adiit ille primum Franciscopo-
 lim terrestri itinere, naviisque statim
 concendit, sed cum reflarent septentrio-
 nes venti, tandem hæsit in littore, ut
 cum meliusculè me habere cœpisssem,
 venerim in eam spem posse me assequi
 cunctantem, cique me adjungere. Non-
 dum igitur satis confirmata valerudine,
 Cadomo profectus A. D. xviii. Cal.
 Majas, Anni M. DCLII. lecticâ opertâ

D

Fran-



Franciscopolim delatus sum. Sed quæ
mea infelicitas fuit, cùm illuc adveni-
sem sub meridiei tempus, Bochartum
comperi ex oriente Sole portu solvisse.
Fuerunt tamen mihi solatio aliae duæ
naves itidem Hollandicæ, stantes in lit-
tore, ad primos Austri flatus patriam
petituræ, uti quidem jactabant navarchis,
re ipsa; ut onerariis aliquot navibus Ro-
thomago ad mare secundo amne ventu-
ris præsidio essent. Quæ dum credu-
lus exspecto, totos undecim dies mole-
stissimo illic otio contabui. Sed tandem
respexit me Deus, & navis consensu in
altum evecti sumus. Cùmque res Anglos
inter & Hollandos spectarent ad bel-
lum, quod paulò post exarsit vehementer,
naves aliquot Anglicas, circa Ic-
cium portum velut in specula positas,
& Hollandicis insidiantes, ægrè effugi-
mus. In Zelandiam primò appulsus, per-
lustrato Middelburgo, quæ urbs regie-
nis caput est, nullâ interpositâ temporis
morâ, minoribus navigiis delatus sum in
Hollandiam; nec conquievi donec Lug-
dunum Batavorum pervenerim. Salma-
sum statim consalutavi adveniens; cùm-
que paucorum dicrum facturum me mo-
ram

ram in hac urbe præsagirem, totum me
ei per illud tempus addixi; nec quic-
quam prætermisi officii & observantiarum,
quod non illi exhibuerim, præsertim
postquam animadverti nostro hoc cum
cultu delectari. Factus autem illic cer-
tior, nondum Amstelodamè digressum
esse Bochartum, statim ad eum literas
dedi adventum meum nuntiantes; qui
adeò jucundus ei fuit, ut Cadomense
juvenem, qui in ejus erat comitatu,
continuò ad me miserit, gratulandi cau-
sa, meque ad eum extemplo deducendi.
Qua benignitate & amoris significatione
ab eo profecta, quem ego contrà ama-
bam ex animo, valde lætatus sum. Er-
go citatis equis Amstelodamum cùcurri
in optatos Bocharti amplexus. Contie-
nuò venit ad me Vossius pérquam offi-
ciosè, ac sperare se dixit futurum, ut
ex longinquo hoc itinere, quod eramus
ingressuri, non notitia solum, sed &
constans ineunda esset amicitia; paratam
sibi & Bocharto rhedam commodam ad
iter & concinnam; servatum mihi in ca-
locum, siquidem hoc uti vellem. Utat
verò, inquam, beneficio tuo, ac lubens
& habebbo gratiam. Ad quartum diei

sumus Amstelodamo profecti. Ubi venimus Ultrajectum, idem ille me revisit santicus moribus, qui profectioni paratum me Cadomi detinuerat, coegeritque illic subsistere per aliquot dies, & opem exposcere Henrici Regii, clarissimi Medici, & longè clarioris etiam Philosophi. Sciebam autem eum Cartesianæ factioi fuisse primò addictum, & assiduum Cartesii ipsius assestantorem; at fastidiisse deinde doctrinam hanc, etiam cum contumacia, nec sine Cartesii offensione. Quamobrem post habitos aliquos de morbo quo conflictabar sermones, ad eumque expugnandum præscriptas leges, multa nobis de Cartesianis rebus disceptatio fuit, quas nec omnino adspernabatur, nec dissimulabat plurimum se profecisse per Cartesium, & de eo magnifice loquebatur.

Venimus deinde Hardenbergam, quod oppidum est Transsalaniæ. Minime vero Lectori injundum fore puto cognoscere quo ritu Consul illic creari soleat, uti quidem ab oppidanis acceperimus. Cumque olim itineris nostri Succici narrationem dederim carmine illo ad Johannem Capellanum, quod existat in-

inter Poëmata nostra , eosdem hīc referam versus , quibus rem tum explicavi:

Hinc Hadenbergam sera sub nocte venimus.

*Ridetur nobis veteri mos ductus ab aeo:
Quippe ubi deligitur revolato tempore
Consul,*

*Barbati circa mensam statuuntur acer-
nam,*

*Hispidaque imponunt attenti menta Qui-
rites:*

*Porrigitur series barbarum desuper in-
gens.*

*Bestia , pes , mordax , sueta inter cre-
scere sordes ,*

*Ponitur in medio. Tum cuius numine
Divum*

*Barbam adiit , festo huic gratantur
murmure Patres ,*

*Atque celebratur subiecta per oppida
Consul.*

Cūm Bremam claram urbem essemus
prætergressi , oppidum venimus satis
grande , cui nomen à septem claustris
factum est. Vidimus illic sacrarum Deo

D 3 vir-

virginum florentissimas olim ædes, tunc
à Lutherana factione in novos usus con-
versas, ruinosis tantum aliquibus mate-
riis paucarum puellarum, veteribus Ca-
tholicæ Ecclesiæ institutis adhærentium,
domicilio attributis. Quinque illic ex-
ingenti numero supererant, quarum
unam in vastæ domus, jamque penè col-
lapsæ, parietinis habitantem nocti su-
p̄us, vitam in magna egestate, sed
munda, ægrè tolerantem, victumque
lanâ & telâ quæritantem. Ac jucundum
mihi sanè fuit, in hac Catholicæ Reli-
gionis vastitate superstites purioris cul-
tus reliquias agnoscere. Quod cùm huic
significasse, magno illa vicissim gau-
dio affectam se esse dixit, cùm me
unum Catholicis partibus videret addi-
ctum, inter tot itineris mei comites ab-
ea alienos; manuque ad osculum beni-
gnè porrecta, ut mos est seminarum
apud Germanos, sublatis in cælum oculis,
opem mihi divinam ex animo compre-
cata, fronti meæ salutaris crucis si-
gnum pio ritu leviter impressit. Profe-
ctò non parum angebar animo, cùm tot
splendida prisæ pietatis proruta monu-
menta, sacrosque & sinceros Dei cultus,

pro-

profana novitate abolita cernerem; illicque paratum errori & impietati praescium, ubi nuper veritati suus constabat bonus, statim patrocnum.

Longam emensi iter Hafniam tandem pervenimus, quæ primaria urbs est Daniæ, amoenâ situ, cultuque elegans; quantum ferre potest boreale cælum. Quâ perlustratâ in speculatoriam turrim me contuli, quam in ipsa urbe, prope Collegium Regium, ad observandos stellarum motus excitavit Christianus IV. Daniæ Rex, postquam ex his locis nimia sua acerbitate exegerat Tychothem Braheum, Astronomiæ parentem; eximio hoc opere lenitum iri ratus desiderium, quod apud gentes suam reliquerat excellentis viri discessus, mirabiliumque instrumentorum, quæ in Astronomiæ usus paraverat, in Germaniam exportatio. In hac exstruenda turri Christianus Rex consilio usus est Christiani Longomontani, qui per aliquot annos fuerat in contubernio Tychoonis. In rotundam formam exædificata ea est, & in magnam eductâ altitudinem; nec ita tamen, ut per scalas gradatim directas detur ascensus, sed

ut per mollem pavimenti acclivitatem, in summam aream currus possit adscendere. Conjuncta ea est templo, quod vetustate exesum cum vitium fecisset, tumque sarciretur cum istic essemus, disjecta inter ruinas grandia aliquot saxa notavimus Runicis inscripta literis, qualia multa visuntur passim in Dania & Suecia, vicinisque regionibus & insulis, nobisque saepe observata sunt. Fertur haec antiqua esse Gothorum scriptura, vulgoque inter eos creditur, rerum gestarum memoriam, magnorumque virorum gloriam certis his ac solidis monumentis maiores suos ad posteros transcripsisse. Livido tamen temporis dente in dies arrosa ea, ac penè ignorabilia, planè olim interitura erant, nisi à sequentium annorum injuria literaturam hanc perspicaci ingenio & indefesso labore vindicasset Olaus Wormius. Collegerat is præterea sagaci diligentia quicquid rarum ac singulare fors ei in his regionibus objecerat, vel à natura vel ab arte profectum: nec Hafniam appellèbat quisquam, virtutis amator & doctrinæ, qui comi salutatione Wormii non ambiret amicitiam, thesaurosque ejus literarios

videre cuperet. Nec officio huic defuit grex ille amicorum, quorum eram in societate. Meminit Bochartus¹, & ante eum Pereyra², preciosi dentis balenæ Groenlandicæ, qui visebatur inter Wormii *καιμηλια*, & ejus erat generis, quod vulgò monocerotis esse cornu imperitum vulgus existimat. Inde nos in Collegium contulimus, visendi causâ Globi ænei à Tychone olim fabrefacti, cæli signorumque omnium ac stellarum descriptionem continentis. Quem mihi de fama multò antè cognitum cùm diligenter spectarem, obstupui equidem ad operis concinnitatem & elegantiam, & ad fabricæ accurationem. Sed in admirabilitate machinæ hujus, aliorumque Tychonis instrumentorum prædicanda vanus esset labor noster, cùm in Mechanicis suis ea omnia delineaverit ipse Tycho, & oculis legentium subjecerit. Nunc ut Globi hujus dignitatem atque fabricam pro merito Lector æstimare possit, sciat viginti quinque annorum opus hoc fuisse, in eoq[ue] perficiendo quinque Dalerorum millia Ty.

D 5 cho.

¹ De Animal. S. Script. Part. I. lib. 3.

² Relat. Groenl. pag. 66,

chonem profudisse, quæ librarum Tuzonicarum nostratum octodecim circiter millium summam conficiunt. Cùm autem Daniā relictā Pragam se Tycho recepisset, universamque supellectilem Astronomicam secum illuc transportari curasset, Annoque demum MDCXIX. in urbis hujus depopulatione a Palatinis copiis ea esset direpta, ab hoc tantum Globo violando abstinuerunt manus; adeò ut sartus tectus postmodum & integer Niçiam, quæ Silesiæ urbs est, in Collegium Societatis Jesu sit illatus. At Vdalricus, Christiani IV. Daniæ Regis filius, Anno demum MDCXXII. expugnata ea urbe, Globum hunc injecta manu, velut patro jure repetit, & in Daniam inferri jussit. Inde porrò vehementius exarsit in me Huennæ insulæ Iulstrandæ cupiditas; quam sedem studiorum Astronomicorum per annos viginti & unum Tycho habuit, cœlestibusque observationibus & præclaris scriptoribus nobilitavit.

Natus ille erat in Scania, ex nobilissima Braheorum gente, quæ Succiporiū dicenda est, quam Danica. Nam cùm essem in Suecia inter quinque super-

premos regni Administratos, primum locum & à Regina proximum tenebat Petrus Braheus, ab eadem familia oriundus. Sed nihil nunc opus est, neque pertinet ad nostrum institutum, vitam Tychonis referre; quod ab aliis effectum est satis luculentiter. Id tantum postulat operis nostri ratiō, ut dicamus Fridericum II. Daniæ Regem, benignitate sua & liberalitate detinuisse Tycho-nem in Dania, jām aliossum migrare, domiciliumque Basileæ Rauracorum collocare parantem.

Est in Fretō Dānicō, quod Sundicūm vulgo appellant, parva insula, Huena nomine, molli adscensu supra maris aquas ita assurgens, ut liberum in omnes partes prospectum habeat. Regi visa est fides haec Tychonis studiis & observationibus cœlestib⁹ valde commoda; cīque statim accerfīto, in totum vitæ tempus, insulæ usumstructum (regi enim juris ēst) attribuit, habitandumque permisit. Simul etiam optimis cūm locuplesavit vegetalibus, ac pollicatus praeterea ēst, vel ad exercitandas in insula aedes, vel ad concinnanda in Astronomicos usus strādenta, se non

D 6 quam

quam ei defuturum. Grato & læto animo munus accepit Tycho, continuoque in insula fundamenta jecit Vraniburgicæ arcis, A. D. vi. Eid. Sextil. Anni MDLXXVI. cui & decorum fore ratus est, si Carolus Danzæus, Gallorum Regis Legatus in Daniam, primum lapidem præclaris ædibus subjecisset. Ego verò cùm penè etiamnum puer ædificii hujus sæpe inspexisse formam in libris Tychonis apud Ægidium Macæum affinem meum, quem & de rebus Tychonis multa narrantem audiveram, ita hæc in animo inhæserant meo, ut posthabitis rebus omnibus, Hafniaque ipsa valere jussa, oculis quoque hæc intueri meis vehementer concupisearem. Sed & socios nostros ad iter illud capessendum quamvis magnopere adhortarer, neque suadendo tamen, neque rogando pelli cere ad id potui; adeò leviter eos Astronomicarum rerum eura tangebat. Vnum tantummedo ex illis comitem habui, conductoque navigio, flante leniter Austro, Huenam-delati sumus A. D. vii. Cal Jun. Anno MDCLII. Insulam hanc Vcnusiam appellant quidam, alii Scarlatinam: cujus postremi nominis.

nis originem ad id puto referendam, quod contigisse, regnum tenente Frederico II. certis illic auctoribus accepi; jactasse Anglos quosdam Hafniæ, si sibi insulam hanc verundare vellet Rex, in pretium persoluturos se tantum Angli panni, coccineo colore tinti, quem *Scarlatam* vulgus appellat, quantum ad extimum insulæ limbum circumcingendum posset sufficere; addito etiam ad singulas panni rugas nummo aureo; Regem illico re auditæ conditionem accepisse, nec satis consideratè; quid enim, si impositis arcibus insulam munivissent Angli, Fretum Sundicum clausissent classibus, & opimis portoriis Regem intervertissent? Is itaque melius consultus insulam omnino retinere decrevit in sua potestate. At cum valde sollicitus esset de fide data, nec eam feliciter videri vellet, subvenit admonitione sua morio quidam, quales in Principum aulis versari solent: Quid ita angeris, optime Rex? quin tu dicio pacta te servaturum, Huenamque venditum, eam modò in Anglicum mare statim à venditione emptores transferant; valde eos insanire, si futurum speraverint, ut in

tuis ipsos hærere faucibus pati velis. Probatum est sapiens fatui consilium, quo clusæ sunt spes Anglorum. Atque hinc, uti quidem conjicio, Scarlatinæ nomen insulæ adhæsit.

Exscensione facta, in pagum nos contulimus, qui unicus & exiguae tota extat insula. Suscepit nos apud se ritus Lutherani Minister, pro more apud Danos & Suecos recepto, quorum qui sacra procurant, iidem per hospitales sunt, domosque suas peregrinis patere volunt, nulla sordidi lucri spe, repensa tantum expensa mercede. Quæ mihi fane liberalitas Christianæ pietatis videtur valde conveniens, ac digna quam imitentur reliquæ gentes Christi nomen professæ. Sunt qui ad Reges ipsos referri velint hanc beneficentiam, quos ajunt divertioria hæc habitanda permissile rusticans Ministris, ea lege ut advenis patarent. Constat certè borealibus his genibus honorificam haberi & decoram laudem hospitalitatis. Humaniter ergo excepti, postquam paululum interquievimus, multa ab hospite nostro, aliisque adstantibus Huense incolis percontatus sum de Tychone, deque Vranibusc.

gj.

gica arce, cuius visendæ gratiâ istuc venissim: quodque mirere, incognita sibi esse hæc nomina uno ore professi sunt omnes, nec quicquam se de iis accepisse. At cùm virum quemdam valde sciem superesse reticivisset in insula, misi qui cum ad me adducerent. Rogatus ille à me numquid de Tychone Braheo inaudisset aliquando, deque condita olim ab eo istic arce, quam Vraniburgi nomine decorasset, & per annos undam & viginti incoluisse; se vero respondit non Tychonem modò & Vraniburgum nosse, sed & in Tychonis famulatu fuisse per aliquod tempus, & operari quoque suam ad hanc exstruendam arcem constituisse. Tychonem autem referebat hominem fuisse violentum, impotentem, iracundum, famulos & villicos male multantem, ebriosum quoque & mulierosum; cùm uxorem duxisset ex infirmitatis villæ suæ Knudstrupii plebe rusticæ, ex qua liberos natus suscepisset, atque hac affinitate, velut sibi probrafa, magnopere offensam fuisse illustrem Brætorum gentem. Tum subjecit bonus ille vir, si istuc venissim spectandi Vraniburgi causam, irritum sive laborem sus-

suscepisse, quippe solo æquata omnia, vixque supererisse parietinarum vestigia. Cujus rei caussas cùm ab eo, & jam antè Hafniæ à viris doctis exquisivissimæ, varias ac planè discrepantes commemorabant. Hi enim Tychonem ipsum, è Dania excedentem, opus suum diruisse dicebant, cùm satis tamen constet res suas Huenicas & Vraniburgicas colono & famulis aliquot procurandas reliquisse; quippe fundi hujus fructus in totum vitæ tempus fuisse ei à Frederico Rege concessos. Erant qui dicerent hostiles Suecorum copias pervasisse in insulam, stragemque hanc edidisse; quod non ignorasset profectò vetus ille Huenæ incola, qui ad turbidas Freti Sundici tempestates & rapidissimos ventos rei caussam referebat; quibus facile concussæ fuerant ædes leviter materiatæ: cùm præsertim de tuendis sartis tectis Astronomicæ domus parùm omnino laborarent aulici viri, quibus clientelæ jure, post Tychonem, Regis beneficio obtigerat.

Cæterum vel inde facilè intelligitur, quām inanis sit fucus ille gloriæ, quæ tanta contentione expetitur. Quid enim aliud

aliud tam ardentibus studiis, tam diuturnis, quæsivit Tycho, quam gloriam? cuius nec instantis mortis necessitas in eo extinxit desiderium, cum animam agens ipse se solaretur sperata à grata posteritate benefactorum suorum memoria, vitamque clauserit in crebra fatalis hujus sententiae iteratione, *Ne frustra vixisse videar.* Eum-ne operæ suæ præmium tulisse dicas, qui Regem regnique proceres sibi infensos expertus est? qui despiciatissimos sensit labores suos, inanes laborum fructus, ac Prætoris quoque interdicto vetitas sibi observationes Astronomicas? qui pepatisbus denique suis, amoenissima domo, & patriâ extorris, in exterio solo, alienâ vivens quadrâ, inter paucos familiares mortem obiit? cum Astronomicam suam supellectilem tanta felicis ingenii contentione, tantis paratam impensis, alienigenarum & indoctorum hominum rapacitati videret obnoxiam, quam rapacitatem & post aliquot annos reipsa sensit hæc supellex, cum à Palatinis copiis funditus direpta est: liberis etiam Tychonis in tenebris, & squallore, ac propemodum in egestate relicta. En quò recidunt spes humanae!

næ! en quò evadit insanum illud laudum studium , & infinita gloriæ cupiditas , quâ duci se & trahi patiuntur generosiores animi , dantque se vanissimis vulgi sermonibus & famæ aucupio ; quæ ab hominum opinionibus profecta sœpe falsis , ferè verò levibus & incertis , extenuatur annorum lapsu , & plerūmque oblivione posteritatis evanescit !

Quatinobrem autem patriam deserere coactus fit Tycho , fùsè à Gasseudo traditum est . At nonnulla tamen ad eam rem pertinentia & commemoratione digna ab eoque prætermissa , Hafniæ accepi à viris Tychonici nominis studiosis . Quamvis enim de injuriis sibi in Dania illatis nonnunquam differeret Tycho , neque ullam in Christianum Regem jacceret querelam , imò verò palam cum excusaret , certum tamen est in ejus offensionem incurrit esse Tychonem , & auctæ frigore percussum , regiis beneficiis Christiani jussu fuisse exutum . Quæ sibi concoquenda prudenter judicavit , cùm longas Regibus manus esse sciret . Verùm inde primam mali lab. exortam fuisse narrabant mihi , cùm illic essem ;

I In Vita Tychon. lib. 4.

esset; quod cum venisset in Daniam Legatus Regis Angliae, secumque molosum Britannicum adduxisset eximie magnitudinis, adjecit in eum oculos Tycho, doneque sibi donari postulavit a Legato, quem deportaret Vraniburgum, fidissimum arcis custodem futurum. At eundem sibi quoque deposcebat aula Magister Christophorus Walchandorpius. Quapropter alterutrius offensionem veritus Legatus, neutri se quidem daturum dixit: verum simul ac rediisset in Angliam, geminos inde se missurum molosos, utrique suum, pollicitus est. Quod & re praestitit. At duorum illorum alter alterum superare specie visus est & statura, eumque dari sibi voluit Walchandorpius, quod & ei Regis arbitrio concessum est, multum licet renidente Tychone. Rem scilicet graviter is tulit; usque erat irae impatiens, temere quædam de Regis effudit, quæ ad eum statim ab aulæ Magistro perlata sunt. Atque hinc iræ illæ, & Regis offensio.

Ante omnia curæ nobis fuerat videre Regem ipsum; jatque aderat tempus illud, quo venturus erat in templum cum

cum omni comitatu , ut rei divinæ interesset. Deducti itaque sumus in suggestum templi , unde facilè despici poterat cœtus omnis aulicorum. Utque imbecilla admodum mihi sunt lumina oculorum , qualia eorum sunt qui à Græcis Myopes appellantur , & excavatis vitreis conspicillis uti solitus sum à pueritia , ad ea cernenda quæ semota sunt ab oculis , ea tunc quoque adhibui , cùm ad spectandos qui circùm stabant reliquos omnes , tùm ipsum maximè R̄egem , quæque proximè ei assidebat Serenissimam Reginam ; quod à me profectò factum est tam incautè , tamque inconsideratè , ut alios spectans parum attenderem spectari me quoque ab omnibus adstantibus indecoro hoc habitu , ac potissimum à Rege ipso , quem paulò post accepimus palam conquestum esse inter prandendum , tam parum sibi præstitum esse reverentiæ ab externis illis hominibus , qui in templum fuerant admissi , ut velut per deridiculum oculos orbiculis vitreis obductos in se conjicerent. Tametsi verò urgebamus temporis angustiis , neque festinationi nostræ injici poterat longior mora , minimè tamen

men sivisset officii nostri ratio, ut Hafniā excederemus præstitæ nullæ adversus Regem observantiæ & cultus significatione, nisi nobis offensi illius conspectum veritis visum esset consultius protinus illinc excedere, mihi quidem in Huenam insulam, adjuncto uno ex sociis; cæteris verò in urbem Helsenoram, sitam ipsis faucibus Freti Sundici.

Huc nos quoque deinde ruderibus Tychonicis perlustratis appulimus. Mox etiam in ipsum Fretum descendimus, visendarum navium gratiâ, ingenti numero illic excubantium, sive ad exigenda portoria, sive ad solvenda, magno Regis Daniæ compendio. Narrabant autem qui tum aderant, ditissimum quemdam mercatorem, Ludovicum Gerium, Hollandiæ incolam, ortum è Palatinatu ad Rhenum, redemptis ante aliquot annos Suecorum ærariis secturis, quæstuosissimas mercaturas fecisse, unde ad finem Danicum redibat ingens emolummentum; hoc inescatos regios quæstores vectigalia solito longè graviora imposuisse his mercibus, & ab invitis ac reluctantibus vi adhibita exegisse; con-

tra

94 PETRI DAN. HUETI
tra vero vim vi opposuisse Gerium, &
vixintu bellicis navibus ad Freti angu-
stias adductis, ab injuria & vexatione
sece vindicasse.

Cum iter faceremus per campos Da-
niæ, videbamus saepè pendentia de pa-
ribulo furum & luporum corpora; ad
infimam autem paribuli trabem defixos
aliquot elegantes cultellos. Quorum
caussam cum exquireremus ab incolis
locorum, retulerunt fuisse in ferale
ignum immisso cultellos ab hominibus
febri, aliisque diuturno morbo laboranti-
bus, vulgoque credi futurum, ut eos
si quis refrigeret, statim morbo liberare-
tur qui fixerat, eo autem corriperetur
qui refixerat. Quod nos olim his verfi-
bus expressimus:

*Illic corporibus videas permista luporum
Robore ferali pendentia corpora furum,
&c.*

Postquam ex Daniæ finibus excessimus,
& Helmetadium, primam tunc tempo-
ris Suecicæ ditionis urbem, delati sumus.
Illuc venit ad nos iv. Cal. Jun. nuncius
a Regina, qui verbis ipsius juberet Vos-
sum

sum è vestigio regredi in Hollandiam, vetaretque antè redire ad eam, quam Salmasio satisfecisset de injuria, quam hic sibi factam querebatur, cùm contumeliosè vocatus esset ab eo in jus levissima de re, caussam dicturus apud Rectorem Academiacè Lugduno-Batavæ, velut unus aliquis de grege Professorum. Inde itaque divulsus à nobis Vossius Hollandiam repetiit. Qui verò ablegandi Vossii mandatum attulerat à Regina, idem ejus iustū se nobis viæ ducem præbuit. Progressis in Ostrogothiam, ad ripas Vetteri lacus, gratissimum fuit herbidos campos decurrere, hoc flore pasim luxuriantes, quem vulgus lilyum convallium appellat, unde suavissimus efflabatur odor, qualem naribus Arctois inusitatum putassemus. Sed & fraga legebamus in sylvis, & circa Holmiam cerasis rubescabant sylvæ; & in horto regio mali intra capsas, & melopeones intra vitrea specularia, eadem educabantur arte, quā apud nos.

Cùm Vetteri lacus oram legentes, jucundo ejus fruoremur adspectu, ja-centem procul in medio insulam monstrabat nobis bonus ille Suecus, itineris nostri

nostri rector, in qua specus esse asseverabat in mirandam altitudinem depresso sum, atque illic clausum à multis seculis teneri Magum quemdam, nomine Gilbertum, artissimis constrictum vinculis ab alio quodam Mago ejus præceptore, cuius virtutibus suas æquiparare fuerat ausus, plurimosque in batarthrum illud, vel liberandi Gilberti, vel visendi certè gratiâ, ingressos, arca na quadam vi devinctos temeritatis poenas luisse; propterea que ab ejus aditu vulgus abstinere. Cognoscere licet ex Olai Magni *Historia*, fabulam hanc à multis jam annis per illas regiones fuisse disseminatam, & pronis auribus acceptam à gente credula & superstitionibus dedita. Quo vitio ferè laborant qui sub frigidiore cælo nati, minus benignos Solis sentientes intuitus, tardiores habent ingenii motus, & ad veri perspicientiam ac depulsionem errorum minus idoneos: quales esse Lappones Suecic finitos, & Islandos, & Groenlandos certis Auctoribus compertum est, Draconem ingentem, Neckerum dictum, lacus circumfluos peryagari solitum narrat.

rat plebs Holmiensis, puerosque lavandi causâ aquam subeuntes rapere ac vorare; propterea que meipsum à natatione magnopere absterrebant, cùm per aestum frigus captare vellem. Nec me tamen vana hæc terricula revocarunt à proposito, valdeque mirati sunt me ex tanto periculo rediisse incolumem. At ego monebam amicè à lacubus prohiberent pueros, quoad essent nandi periatores: alioquin haustum iri, non à Dracone, sed à profundissimis gurgitibus, quorum fluctus inæqualibus superfusi rupibus facile incautos fallant.

Nec miretur quisquam in tam algidis cœli plagis eos existere calores, qui refrigeratione sint mitigandi. Id præstat diurna Solis mora supra terram per aestivos dies, & assiduus radiorum intra solidas rupes repercussus. Nec sahè tantos memini me usquam pertulisse aestus, quantos in Suecia. Sed & longinqua hac Solis mora factum est, ut mediis etiam solstitialis per aestatem temporis noctibus, nullâ admotâ luceroâ, epistolâs conscriberem. Per hyemem verò, & illic, & in aliis potissimum ad Septentrionem vergentibus locis, notabilis

E quæ-

quædam hirundinum deprehenditur im-
doles, quæ circiter æquinoctium au-
tumnale, & prima adventantis hyemis fri-
gora, non trans mare devolant, uti mos
illis est, & plerisque volucribus advenis
sub calidiore cælo; sed in lacus se im-
mergunt, & aquis glacie concretis su-
perintectæ ac velut sepultæ jacent per
totam hyemem; quoad verno tempore
resolvatur glacies, & illæ velut è somno
excitatæ, excussoque veterno, prodeant
ex aquis, & ad volaturam se accingant.
Nec minore videtur admiratione di-
gnum, quod in nostrate regione obser-
vatum est, intra concavas rupes, quæ
Olenæ fluvii ripis adjacent, Cadomum
iater & mare, hirundines immannu nume-
ro, in uvæ modum collectas & con-
globatas pendere è summo fornice per
totam hyemem. Neque sanè nescivit
Aristoteles illud esse hirundinum inge-
nium; neque Pedo Albinovanus, in
elegantissima in obitum Mæcenatis Ele-
gia, cùm dixit,

*Conglariantur aquæ, Icopolis se condit
birundo.*

In-

¶ De Animal. lib. 8. cap. 15.

Insigne aliud Suecicæ superstitionis monumentum visitur Holmiæ, in majore templo depicta in tabula facies cathi, qualis eo die apparuit, quo urbe profectus est Gustavus Adolphus Rex ad Germanicam expeditionem. Visi sunt in cælo tres Soles, lucidis quibusdam orbibus circumsepti : quibus signis ea portendi facinora, quæ magna deinde cum laude à fortissimo Rege patrata sunt, credidit illa gens, parùm memor eorum, quæ de hujusmodi ~~τραπεζίοις~~ à gentili suo Olao Magno sunt adnotata, sæpe nimirum ea committi versùs Septentriones : nec aliam, puto, ob cauſam, quam quod nubes illæ, densiore ac spissiore aqua concretæ, speculi præbent vicem, rerumque objectarum formam facile fuscipient ac retinent.

Animadversione digna mihi visa est domorum Suecarum fabrica. Pineos aut abiegnos truncos, ejusdem crassitici & longitudinis, accuratè delibratos, utriusque ad oppositas partes dolatos & levigatos, & prope ipsa capita incisuris confectos, redigunt in quadram ; alicisque altis ad eamdem formam, in levigata latera superinjectos, ab extremis

partibus invicem per has incisuras connectunt; dum literatis saepius & multiplicatis conjectarum trabium ordinibus opus ad convenientem altitudinem aspergat. Quæ ut facile coagmentari possunt, ita nullo dissolvuntur negotio; adeò ut saepe videoas venales proferri ad mercatum domos hoc modo disjunctas, dormorumque materiam, & ab emtoribus in ædes suas deferri, ut commodo loco construantur. Tecto additæ sunt fenestræ, quod ipsum tabulis constat, & betulæ arboris corticibus, quæ cariem non sentiunt. Atque hoc demum culmen cespite congestum est; quod & in rusticannis Italæ tuguriis factum fuisse scimus, auctore Virgilio⁴. Tum avena, aliisque seminibus idoneis conseritur cespes ille, ut herbarum radicibus consutus & constrictus humili tecto firmius adhærescat. Ergo viridia & florentia videoas domorum culmina, quibus & oves & porcos ad pastionem vidimus immitti. Tecta enim ad hunc modum comparata esse dicunt, tum ne fulmine idæ facilè deflagrarent ædes, pingui & resinosa ligni materia constratæ; tum ut ingruentibus

■ Ecl. I. vers. 69.

tibus bellis, clausisque per obfitionem
urbibus suppeteret pabulum, unde pe-
cudes ali possint. Eamdem artem domi-
bus suis exstruendis adhibent Moscovi-
tæ. Talem adhibere quoque Islandos
testatur Arngrimus Jonas¹. At poten-
tiorum ædes, imprimisque regium Pala-
tium, & Deo dicata templo, ærcis lami-
nis sunt coniecta, cujusmodi fuisse Vestæ
templum Romæ narrat Ovidius². Hæ
autem & ad decorem faciunt, & ad diu-
turnitatem, propter soliditatem & levi-
tatem materiæ, cuius feracissima est Sue-
cia, ærariis metallis ita abundans, ut æ-
ream cudant monetam laterculis pedali-
bus ampliorem, cui congerendæ & af-
servandæ locupletes & benè nummati
grandia construunt horrea & apothe-
cas.

Ut nostratum caminorum structuram,
ab antiqua longè diversam, adinvenit
recentior ætas, ita Sueci necessitatem
artium parentem secuti, intentioribusque
frigoribus conflictati, pervulgatum ca-
minorum modum in commodiorem for-
mam redegerunt. Nec enim ad me-

E 3 dium

¹ Reip. Island. cap. 6. ² Fast. lib. 6.
vers. 261.

dium conclave parietem , uti nunc apud nos , sed ad angulos sunt appliciti , ne pars ulla loci caloris sit expers & fulgoris : nec quadrata & in latum porrecta cavitas est camini , neque tubi per quem camini fumus erumpit , sed rotundam sectantur formam , ut repercutitus intendatur ignis ardor , & ne fumus foras vi flammæ expulsus regredi possit . Præterea non jacentibus lignis subjiciunt ignem , uti nostrates solent , sedstantibus & erectis , eo situ quo surgunt è terra , successque illos concipiunt , qui fibris intus recepti , exsiccantur Solis ardoribus , & resinosi ferè cùm sint , facile inflammantur , & idoneam præbent ignibus materiem , fibrarum ductus sponte sequentibus , nec usquam interruptis . Quæ postquam abierunt in candentes prunas , tubus obturatur laminâ æreâ , de transverso per rimam insertâ , quâ calor intra conclave diu continetur . Talibus quoque caminis perhibent uti Persas . Ferunt Arnoldum Spirinxium , hominem Batavum , à Suecorum Regina Legatum ad Hollandos missum , perspectis hujusmodi caminorum oportunitatibus , frustraque adhibitis opificibus indu-

dustriis, qui similes in patria sua domo concinnaverant, caminum totum Suecicum, crassis asseribus, ferreisque ligaminibus probè compactum, in Hollandiam integrum transmississe.

Postquam Holmiam venimus, prima nobis cura fuit Reginam consalutare. Ejus autem gratia tum florebat Bourdelotius Medicus, natione Gallus, origine Æduus, Bourdelotii illius sorore natus, qui famam aliquam decusque inter Literatos consecutus est, editis in veteres aliquot Scriptores non indoctis commentariis. At alter ille, quò commendabiliorem se præstaret, nomen adscivit avunculi, cùm Michonius paterno nomine appellaretur. Huic curam valitudinis suæ affectæ & languentis ut committeret Regina, suffragatione sua & commendatione perfecerat Salmasius, Æduus & ipse. Michonius verò, Medicæ quidem artis non erat inscius, plus tamen longè valebat artibus aulicis, quas diu cum Medicina inter nobilium feminarum cathedras exercuerat. At planè rudis erat aliarum disciplinarum, quas qui callent, dicuntur eruditi. Ex acerrimis harum studiis cùm languorem con-

traxisset Regina, febriculisque identidem tentaretur, libros primum omnes ab ea removit Bourdelotius, rebus ipse suis & existimationi hac ratione callidè consulens, denuntiavitque certissimum vitæ periculum si pergeret literis operam dare. Tum in privatis colloquiis, deridiculum quid & esse & haberi jactabat, mulierem doctam apud elegantiores aulae Gallicæ féminas. Accedebat ad hæc jocorum & facetiarum arguta festivitas, quibus mirificè captus est puellaris animus, ut apud eam penè jam forderet omnis honos liberalis doctrinæ. Nam iā Christina tam flexibilis fuit atque mollius ingenii indoles, ut ex alienis judiciis tota penderet, eorum præcipue qui aliqua meritorum specie ejus existimationem fuissent adepti. Nam cùm literarum amore flagrans, Salmasio se aut Vossio tradidisset in disciplinam, ad eorum opiniones ita se componebat, ut quoscunque apud eam præconii celebrassent suis, eos statim ad se accerferet: quos inter numerandus est Bochartus, veteri necessitudine Vossio conjunctissimus. Cùm ergo ex Bourdelotii consilio, abjectis studiis, deditisset se animi relaxatio-

nis.

tioni & otio, & meliusculè se habere cœpisset, tum verò se ejus ope non convalescisse modò, sed & ad vitam rediisse prædicabat. Jam inde ergo tam dicto audiens Scurræ fuit, ut eam propemodum eruditionis suæ paeniteret. Quæ res omnem penè intercepit itineris nostri suavitatem, efficitque ut parum liberaliter, nec pro meritis exceptus sit Bochartus, accersitus præsertim velut ab alio orbe, tanto studio, tamque crebro efflagitat. Nec dubitabamus, quin ea essent ad Bourdelotum auctorem & impulsorem referenda, qui sua scilicet interesse putabat, inde extrudi viros eruditos; ne bonarum literarum ignorantia, cuius sibi conscius erat, ex propinquo appareret. Nec aliam ob caussam tam inhumanc. visus est Vossius à Suecia alegari.

Abhorrebat porrò valde Regina à suptiis, meque ab iis vehementer absurterebat: utique dicax erat & multi joci, legisse se narrabat apud Pausaniam: hominem quendam Argivum, mihi cognominem, uxorem suam deprehendisse in adulterio, mali id esse ominis, caverem itaque ab hujusmodi infortunio.

E. 5.

Ac.

I. B. oecotic. pag. 310, 32.

At ego respondi turum & contrario esse
me posse hoc exemplo, cum vir ille in-
juriama sibi illatam, cæsis uxore & adul-
tero, egregie ultus sit: ac præterea neu-
tiquam convenire nomina, *T'z'tloz* hunc
nomine esse dictum; me vero id nomi-
nis adspicere, & dici *T'z'tloz*, quod
unum est ex Jovis cognomentis.

In hac literarum vastitate creseebat
nihilominus Bibliotheca regia, & nume-
ro librorum & dignitate, qui undecun-
que collecti in eam confluabant. Nam
ad eos, quos inter Genoanicas manu-
bias deportaverat in Succiam Gulbavus
Adolphus Rex; accesserant multi, in
sectione Bibliothecæ Mazarinianæ pre-
tio emi, tum & Johannis Gerardi
Vossii Bibliotheca, grandi zore de Isaaco
flio redempta. His addita fierat Bi-
bliotheca Petaviana, tota libris anti-
quis, Græcis & Latinis, manu exaratis;
item Gaulminiana, tota libris Ebraicis,
Arabicis, aliisve exoticis hujus generis
conflata, quæ paulò postquam ad Gaul-
minum, immane huic pretium statuen-
tem, rediit. Illuc quoque plurimos op-
timæ noæ codices intulerat Isaacus
Vossius, à se passim per Europam ma-
gnis

gnâ diligentia conquisitos : in his volumen Græcum satis grande , antiquum, manu descriptum , quo Commentariorum Origenis in Matthæum continebantur Tomi aliquot , & ejusdem præterea Tractatus de Oratione. Quod cùm intellexisset venisse à Vossio , quæsivissetque deinde ex eo unde illud habuisset , & quid eo post meum ex Suecia discessum esset factum , respondit ille , raptum fuisse primò à militibus in di- reptione Vormaciensis Bibliothecæ , & vili pretio coemtum ad se pervenisse. Enimvero id nactus , adhortante Bocharto , describere statim sum aggressus , potestate mihi facta à Regina. Atque hinc prodit Origenianorum Commen- tariorum editio , quæ sequentib[us] subin- de annis à me procurata est.

Venerat Holmiam ante paucos dies Marcus Meibomius , & Reginæ luculentam misericordiam obtulerat , veteris Musi- cæ Scriptores septem , sua interpretatio- ne suisque notis instructos , & regiae maiestatis nomine inscriptos. Præclarè fane hoc Opere de re literaria meritus fuerat Meibomius , cùm diu neglectant antiquam Musicam , & excoli desitam ,

ac longinquitate annorum obsoletam, penè intermortuam revocavit è tenebris, & pristinæ dignitati asseruit. Nec tam ex fastidiosa hac & segni ætate, & bonarum literarum contemtrice debitum plausum tulit. Quòd nisi studiorum meorum instituta ratio ad alia me vocasset, libenter cum eo per voluntatem eximios illos nobilissimæ disciplinæ antistites; ipsiusque Meibomii rationes ex eo ipso cognovissem.

Cùm istic essemus, Cancellarii munus sustinebat Axelius Oxenstierna, quem honoris caussâ nominò, vir de patria sua optimè meritus, primarius olim sub Gustavo Suecici regni administer, splendidis functus legationibus, bonarum literarum amans, iisque probè excultus, & egregiam prudentia, ingenii dexteritate, & magnanimitate celebritatem nominis adeptus. Quæ cùm revocarem ad annum, resque ab eo præclarè gestas recordarer, mirabar in hac excellentia tantam inesse modestiam & facilitatem morum, quâ par esse videbatur insimis, comitatemque, quâ nos exteros excipere solebat.

Vigebat tum quoque apud Suecos
R.

Renati Cartesii memoria, qui ante duos annos Holmiam accitus à Regina, supremum illic diem clauserat. Extra urbis septentrionale suburbium, jacet sepulcretum, eorum destinatum condens corporibus, qui à Lutherana Religione fuerunt alieni. Illic humatum esse Cartesium cum accepissim, locumque insigni tumulo decoratum, eò me contuli, molemque reperi satis grandem, tabulis abiegnis contextam, magnificis exornata in inscriptionibus, quibus viri laudes prædicabantur. Totus apparatus auctorem ferebant Petrum Chanutum, Gallorum ad Suecos Legatum, in cuius hospitio decesserat Cartesius. Cumque lignea hæc compages ad lapidis formam & colorem constructa esset & dealbata, præferretque titulus conditum esse Cartesii corpus sub hoc lapide, furtim & perfacetè ab ignota manu subnotatum fuerat ligneo.

Non abs re forsitan fuerit, nec Lectori injucundum, referre hic facinus novum, nec admodum credibile, nisi testimonia multorum, ex quibus rem audi- vimus, fide niteretur, nec longo ante adventum nostrum tempore in his locis

patratum. Vir Suecus, mente sanus, probus, benè moratus, inter populares satis commodus, media luce quadrimulum puerum, ante fores paternæ domus, palam in vico inter æquales colludentem corripit, cultroque in fauces adacto interimit. Comprehensus ille, & in judicium adductus, nec factum negavit, nec excusavit, nec facti poenam deprecatus est. Imò verò, inquit, me commeritum esse mortem scio, eamque ut à vobis impetrarem hac arte usus sum, cùm probè norim vix tutionem esse ullam salutis æternæ adipiscendæ viam, quām cùm sensibus integris, corpore valido nec morbis debilitato, excedit anima, piis ad Deum religiosorum hominum sublevata precibus, eorumque consiliis & adhortationibus excitata & adjuta. Quod mortis genus ut per vos oppeterem cùm fieri non posse intelligerem, nisi aliquo delicto capitali admisso, levissimum id esse judicavi quod à me perpetratum est, occiso puero nondum vitæ hujus corruptelâ infecto, parentibusque egemis, & numerosâ prole onustis erepto. Quibus dictis capitæ damnatus, latus ac penitus, sacrosque hy-

hymnos pleno ore decantans , supplicio affectus est.

Nuntiabatur interea Gabrielem Naudæum & Raphaëlem Trichetum Freedum è Gallia evocatos à Regina ; hunc, ut pretiosæ & rarioris supellectilis ; illum , ut Bibliothecæ curam custodiamque susciperet , Lutetiâ profectos jam-jam affuturos. Quo nuntio cùm gaudent Galli , ringebantur Sueci , exhaustum conquerentes ærarium vastissimis sumtibus , profusisque regni opes in extrancos , ac Gallos potissimum ; quos tanquam expilandi sui causâ è longinquo venientes iniquissimis adspiciebant oculis , ægerrimèque ferebant in amplissimis apud Reginam obtinendis & excedendis muneribus anteferri sibi famelicam gentem , alienis bonis inhiantem. Quæ cùm ipse mecum reputarem , integrati me peccitebat itineris , & gentem infensam deferere properabam ; cùm præfertim inde me extruderet ingruens autumnus , & cautele providendum esse eensem , ne redditum mihi præcluderent adventantis hyemis sævissimæ tempestates : revocabant me præterea in patriam domesticæ negotia , quæ proficiens

scens non deserueram quidem, quod sine
gravissimo meo damno facere non pot-
eram, sed intermisseram tantum ad tem-
pus aliquod. At cum repetendae Gal-
liae veniam petiisse à Regina, multa
pro bonitate sua causata est, cur me
abeuntem retineret, ostentatis etiam ho-
norificis & opimis conditionibus: in pri-
mis ut Origenianorum Operum editio-
nem, quam jam tum meditari me fue-
ram profensus, apud se in otio, Biblio-
thecæ suæ opibus subnixus, procura-
rem. Ego verò reniti contrà, operis ma-
gnitudinem opponere, temporis & ope-
ræ longinquitatem, & urgentia rei meæ
familiaris negotia, quæ tam diuturnam
moram ferre non possent. Quæ cum
per aliquot dies ultro citroque disceptata
essent, his demum legibus transfacta res
est; ut patriam revisere liceret in proxi-
mam hyemem, Sueciam ineunte vere
repetiturus. Et fecissem sanctè, nisi pro-
positum interpellasset rumusculorum au-
ra passim increbrescentium, prope adfle
tempus, cum regnum abdicatura esset
Christina. Atque id eventurum jam an-
tè conjecturâ fueram auguratus, & ex
ingenio Reginæ, & ex dictis quibusdam
in-

incautè leviterque ab ea prolatis , super
privatæ vitæ jucundissima tranquillitate ,
& regiæ dignitatis incommodis. Quam-
obrem etsi fidem meam de reditu obli-
gaveram Reginæ , nulla mihi tamen re-
ligio fuit , Holmiâ proficiscenti , cum
votum Mercurio pro reditu in patriam
nuncuparem , nunquam me in Sueciam
regressurum significare hoc carmine ad
Catulli delicias expresso .

*Bocharti comites , cobors inanis ,
Aptis sarcinulis & expeditis , &c.*

Perstrinxeram & alio carmine Gallico ;
satis acri atque salso , mores Suecorum ;
quod cùm Bocharto recitassem , statim
que ille descripsisset , detulit ad Regi-
nam , & tanquam festivum aliquod acro-
ama audienti prädelegit. At illa versiculis
quidem se delectari dixit , verùm argu-
mentum non probaturos populares suos ,
qui ludibrio haberí se neutiquam essent
pasluri ; cautè hæc itaque premenda esse
& occultanda .

Verùm in reditu adhibui mihi itineris
socium Petrum Cahagnesium Fiervil-
lam Cadomensem , Stephani Cahagne-
sii .

sii , suprà à me memorati , fratre pro-
gnatum. Hic Bocharto in Sueciam pro-
ficiſſenti comes fuerat à parentibus ad-
junctus , mandatumque additum , totus
ut ex ejus nutu arbitrioque penderet. At
ille diuturnam in barbara gente locis-
que inanocenis moram pertæſſus , & in-
ſtantis hyemis longas noctes diesque
breviſſimos reformidans , multum licet
reclamante Bocharto , ac velut pro im-
perio abitum prohibente excessit unà me-
cum ex Suecia , certumque ſe mihi præ-
buit afſeclam & fodalem.

Accessit & alia cauſſa , cur de Cado-
mo maturè repetendo cogitarem. A
multis jam annis parum probari in vul-
gus perſpexeram diuturnam meam hanc
& intimam meam cum Bocharto fami-
liaritatem , ſtudiorumque coniunctio-
nem , viro à Catholicis partibus alieno ,
cujuſ auctoritati , partæque meritis exi-
ſtimationi plurimum tribuerem ; quod
ſalva Religionis meæ integritate vix fieri
poſſe ceneſebant. Multò etiam magis in-
crebuerat inanis hæc ſuſpicio ; cùm
damnoſo hoc contubernio me devin-
ctum , in gentes Lutheranæ factioni ad-
dictas profeſtum me ſcirent , longasque
tra-

traherem moras in ea aula , quæ palam
aversaretur Catholicum dogma , & apud
Reginam , quæ quidquid vellet , valde
vellet , suamque de rebus divinis senten-
tiam propagare velle crederetur ; cùm
præsertim ad obeundas in Germaniam
legationes quasdam operam nostram
utilem sibi futuram præ se ferret. Quæ
et si vanissima esse cognoveram , nonni-
hil tamen vulgi opinionibus quantum-
vis fatuis tribuendum duxi , ineptosque
rumores redditu meo sopiendos. Cùm
& ad Dei gloriam & ad meam ipsius
salutem pertinere statuerem , non puros
solum retinere & illibatos de Religione
sensus , quales eos à sanctissima matre
Ecclesia Catholica excepti ; sed & dili-
gentem dare operam , ne cui aliter de
me judicandi per meam socordiam præ-
beretur occasio.

LIBER TERTIVS.

PEr gentibus nobis in Sueciam, & Gotorpianæ Bibliothecæ tabularia iustrantibus, inesse iis animadverteram vetusta quedam exemplaria Græca, quæ studiis meis juvandis & ornandis usui esse posse censebam. Quamobrem profectus deinde ex Suecia, non antè excedere statui ex Cimbrica Chersoneso, Daniæ Provincia, quam ea pervolutasse in otio, & si quæ conducerent rationibus meis, vel collegissem carptim, vel exscriptissem... Ut primùm ergo Gotorpiam redii, adiū ad Adamum Olearium, Bibliothecæ præfектum, perspectæ prudentiæ & doctrinæ hominem, quarum egregium Orbi literato dedit specimen, luculenta illa *Itineris Moscovitici & Persici descriptione*, quod Friderici Cimbrorum Ducis jussu in horas suscepimus est. Is autem hoc tempore, quantum patiebantur gravissimæ febris, quâ tunc laborabat, accessiones, indicem concinnabat & interpretationem omnium Linguæ Persicæ vocabulorum.

Hanc

Hanc ego petii mihi per eum veniam impetrari ante omnia, ut daretur aditus ad Principem, quem officii mei esset vivere & salutare; deinde ad Bibliothecam, unde sublegere ea possem & excerpere, quæ studiis meis viderentur esse opportuna. Renuntiavit ille postero die, potestatem sui videndi facturum Principem, simul atque dimisisset à se externorum Principum Legatos, post confecta negotia, quorum causa venissent: interim mihi reseratum iri vel intima Bibliothecæ tabularia. Qua facultate humaniter concessâ, post salutatum Principem non segniter usus sum. Cùm in alios autem codices transscribendos meam contuli operam, tūm in eum præcipue, quo Vertii Valentis Anthologiæ continebantur. Verustus is fuit Astrologus, patriâ Antiochenus, qui Apotelesmaticæ præcepta tradidit circa tempora Hadriani & Antonini. Hunc cave confundas cum altero hujus nominis Astrologo, ex Georgii Cedreni, Michaëlis Glycæ, & Johannis Zonaræ Historiis cognito, qui in Encyclopiæ Romæ thema cœlestè constituit, plurimaque falsa ex artis hujus vanitate præ-

prædixit. Duo omnino Operis hujus exemplaria præter Gottorpiatum superesse cognovi; alterum Lugduno-Batavium, manu Josephi Scaligeri exaratum; alterum Anglicum Oxoniense, Christophori Longolii curâ & viginti aureorum impensâ olim descriptum, quod Johannis Seldeni deinde fuit. Sed & alium præterea Operis hujus codicem existisse Romæ apud Lucam Gauricum narrabat Gesnerus in sua *Bibliotheca*. An illo, an Gottorpiano usus sit Joachimus Camerarius, cùm fragmentum ex eo excerptum Astrologicis suis infereret, & unde suum descripsérít Scaliger, incertum mihi est. Cùm strenuè me labor ille exerceret, furtim per posticum ingressus pone adiitit mihi humanissimus Princeps, & incogitantem oppressit. Mox familiariter assidens multa super Suecia rogitat, multa super Gallia, plura etiam de studiis meis, deque sua ipsius Bibliotheca, quam diligenter lustrari à me, & ex consilio meo locupletari volebat. Cùm autem Gallicæ Linguae esset imperitus, ego Germanicæ & Danicæ, Latinum sermonem in colloquium addibuiimus; cuius tam expedita pollebat

COMM. DE REBUS &c. Lib. III. 119
bat facultate, ut infantiae meæ me pu-
deret.

Gottorpia digressus Hamburgum veni,
nec nos consortium suam desiderare
passus est Lambecius, plurimaque sin-
gularis humanitatis officia. Per eum in
publicam deductus sum Bibliothecam,
Reipublicæ Hamburgensi testamento re-
lictam à Friderico Lindembrogio, &
magnis deinde accessionibus amplifica-
tam.

Hinc in Hollandiam redituris grave-
visum est & injucundum permeare ite-
rum steriles illos & arenosos Vestphaliæ
campos, quos jam antè non sine mole-
stia percurreramus. Fleximus igitur
viam ad dexteram in Frisiæ, amplis-
simarum urbium frequentiâ pernabilem,
& fluviorum etiam, quorum subvectio-
nibus viatores commodè uti posunt.
Jamque ad Flevi lacus oram pervenera-
mus, cùm in Harlingæ urbis vicinitate
monstratum est nobis oppidum, quod
singulis quibusque diebus navigium
unum, trecenta nempe sexaginta quin-
que per anni curriculum, ædificare &
Reipublicæ subministrare narrabant.
Perlustrata nobis hinc est Franekerana
Academia.

Quod

Quod autem s^epe inaudiveram, sed velut commentitium & ridiculi caussā confictum acceperam, in diversoriis Hollandicis, non impensarum modò, sed strepitus etiam apud se concitati, premium ab hospitibus caupones exigere solere, Vorcumii re ipsa expertus sum. Cùm itle enim, apud quem diversabamur, depūtaret nobiscum rationes expensi, catelli quoque nostri latratum & procacis servuli cachinnos in eas retulit. Quod cùm altiore etiam cachinno ac velut postulatum per jocum deridemus, excanduit vir ferox, accitosque è vicinia ad ferendam sibi opem r^usticos homines, tribules suos Ætnæorum fratribus simillimos, grandibus armatos scuribus, ad nos induxit, En, inquiens, qui ab impura hac Gallorum gente debitum jure pretium extundant. Nos verò parere maluimus, quām pugnare.

Ad oram Flevi lacus jacet Stavera, urbs antiqua, caput olim Frisiae hujus ad Occidentem sitæ, dum regna manebant, potens, dives opum, portu olim ample atque tuto, & longinquis navigationibus nobilis, atque etiam aperto per eam primū ad mercaturas per Freti Sum-

Sundici angustias Balthico mari; cuius beneficij memoriam hodieque existare ajunt in portoriis Freti hujus exigendis, cum præcipuo jure Staverenses naves, præ reliquis omnibus, ad solutionem admittantur. Eadem & inter Hanseaticas urbes non postremo loco censebatur. Nunc tantum sinus, & statio male fida carinis; exaggerato arenis & oblitato portu. Cujuſ infortunii cauſa hæc fertur vulgi sermonibus: cum Staverensis quidam Mercator, è Prutenicis maris Balthici littoribus redux, magnam inde frumenti vim in patriam advexit, indignatam uxorem nullam ad se, quam speraverat, pervenisse succini capiam, frumentum omne in mare effundi jussisse, atque patrati per unius mulieris impotentiam sceleris, totam civitatem, amissis portus & mercaturæ commodis, poenas duiſſe.

Illic consensa nave Amstelodamum posterò die appulimus, unde non multò post urgentibus negotiis quibusdam Vl- trajectum repetere coactus sum. Nec mihi iterum committendum censui, quod priore itinere facere non neglexeram quidem, sed distuleram, ut nullo saluta-

F tio-

fionis & honoris officio nobili virginis
Annæ Marie Schurmannæ exhibito
istinc discederem, quæ Labbadiæ Gal-
lo-Calvinianæ sedetæ Ministro postmo-
dum nupta in Frisiæ cum eo conce-
fit. Actum agam, si laudes mulieris hu-
jus prosequi instituam, cùm ejus inge-
nium, doctrinam, artium plurimartum
peritiam, ac singularem etiam modestiam,
fusè jam celebraverit Salmasius. Hic
ipse verò Salmasius ejusque revisendi
desiderium, Lugdunum-Batavorum ma-
gnopere me revocabant. Quæ enim ex
primo congressu fuerat inter nos deliba-
ta amicitia, eam crebro literarum com-
mercio, dum in Suecia essem, coluera-
mus; quam & assiduo, per hyemis tem-
pus, quum longa esset, usu confirma-
tum iri sperabam; præsertim si in ejus
admitti possem contubernium, quod &
ab eo impetraturum me confidebam; ea
erat propensæ in me voluntatis significa-
tio. Vixque optata ejus consuetudine
cœperam frui, cùm correptus acutissi-
ma febri in extremum vitæ discrimen
adductus sum. Sed tantum valuit An-
tonii Lindani optimi Medici curatio &
assidua sollicitudo; tantum etiam adhi-
bi-

bita à Salmasio , aliisque honestissimis civitatis hujus & Academiæ viris , antea mihi cæteroquin omnino ignotis , solertia , & suavia , atque ad excutiendum languorem utilia cupedia , ut ante elapsum mensem è gravissimo morbo planè sim recreatus. Inter eos omni me officiorum genere prosecutus est Jacobus Golius , princeps ille Arabicæ literaturæ , ac longè pluris etiam ob candorem morumque suavitatem faciendus. Praeclarè etiam de me meritus est Deodatus ingenii elegantiâ perpolitus. Ac tum quoque cum decumberem ex morbo , eodem mecum diversorio utebatur Alexander Morus , unde magna inter nos contracta est necessitudo. Nam & ægri lecto assidebat diu noctuque , cibum cum convalescente capiebat unà , ac veternum & morbi reliquias festivitate sua & jocis abstergebat. Facultatem quoque nostram sæpe experiebamur uterque in fundendis versiculis , & ultro citroque mittendis , vel provocandi caussâ vel reponendi : in quo facilitatem nostram jucundè ac præter spem ad extemporalitatem usque procedere aliquando sentiebamus. Præ cæteris vero omnia præstítit nobis Salmasius

humanitatis & benignitatis officia : qui cùm articulari morbo ferè lecto affixus hæreret, nec ad me venire posset, crebris munusculis & epistolis languentem recreabat : cùmque meminisset me succo ex pomis expresso, quem Siceram vulgus appellat, pro Normanniae more, esse innutritum, & in ægritudinis fastidio sciret eum à me expeti vehementer, perfecit tandem curâ suâ ac diligentia ut lagenas aliquas, suavi hoc & salubri liquore plenas, nescio unde petitas, ad me mitteret. Cùm primum autem pedem licuit domo efferre, quibuscumque rebus potuit, benignè mihi commodavit, suaque potissimum rheda, quâ per urbem vectarer. Hac ego usus sum ad consalutandos alios Reipublicæ literariæ proceres, qui eruditionis suæ splendore illustrabant Academiam Lugduno-Batavicam : in primis Danielem Heinsium, in quo vix vestigia agnovisses prisci illius Heinsii, luminibus ingenii tantum olim celebritatis adepti. Tunc enim virus est animo omisso esse atque tardo, sermone etiam languido & subtristi ; cùm tamen magnopere optarem audire cùm pristinas illas adolescentiæ suæ, in

falu

finu Musarum sub Scaligeri disciplina
feliciter actæ, delicias recolentem. Nec
spectantes fallebat Marci Zuerii Box-
hornii atrox & lurida facies, rubentibus
perspersa pustulis, qualis illa fuisset fer-
tur Sullæ Dictatoris ; alloquo enim iti-
dema asperum quipiam & ferox præfe-
rebat. Graves ille gerebat inimicitias cum
Salmasio, acribusque cum scriptis & ser-
monibus prosciderat, uti factum quo-
que fuerat ab Heinsio, cuius partibus
palam favebat Boxhornius. Hunc ali-
quando in angiportu deambulantem ador-
ti adolescentes Germani, Salmasiani no-
minis valde studiosi, Tu-ne, inquiunt,
homo impure scribere ausus es adversus
magnum Salmasium ? correptumque in
profluentem canalis aquam déjicere co-
nati sunt. Me verò totum, & virtute
sua, & benignitate, & officiis ad se ra-
piebat Salmasius, & quantum utriusque
nostrum patiebatur valetudo, & mea,
tenuis adhuc nec satis firma, & ipsius,
imbecillis ferè semper, fruebar ejus con-
gressu, cùm meum non adsperrari vi-
deretur. Quotiescumque enim viserem
ad eum, rebus omnibus omissis seducebat
me solum in secretius conclave ; atque

allic aperiebat pectus tam candidè, tam ingenua libertate, ut mirarer ipse idem apud me, virum perspectæ & inveteratæ prudentiæ, tot res serias & arcanas, cum homine juvne, ac penè etiam tum adolescentे, familiariter & liberè communicare, nibil de fide mea & taciturnitate dubitantem. Audieram quidem sæpen numero dicentem, plurimum mihi suam podagram obessè, quæcum à Bibliothecæ suæ aditu atque ascensu prohiberet, unde plurima studiis meis opportuna subsidia ad me fuissent redditura. Si quis certè animum ejus atque mores ex scriptis æstimare velit, arrogans fuistè videatur, contumax, sibi que præfidens; at in usu & confuetudine vitæ, nihil placidius, nihil mitius; comis ad hæc, urbanus, & officii plenus. Verùm benignitati ejus ac quieti multum officiebat uxor imperiosa, Anna Mercera Josiæ Merceri viri docti filia: cuius ope cùm propter imbecillitatem corporis & valetudinis infirmitatem carere non posset, ferenda ei erat mulieris intemperies, & ad ejus ingenium accommodare se cogebatur, non patienter modò, sed & nonnunquam indecorè.

rè. Velut cùm suscepit iter Succicum, tumque hominis ætas, & vitæ institutum, habitum postularent modestum & simplicem, hujusmodi illa vestitura, tanquam ignobilis & plebejum aversata, militari cinctu personatum in aulam Suecicam prodire voluit, thorace indu-
tum è bubali corio, manicis, braccis
è panno coccineo, gestantem capite pe-
lusu ciperei coloris, pennâ candidâ
protectum; atque ita exornatum se pro-
duci passus est in publicum. Angebatq[ue]
præterea femina impotens, si quem ad
secretos viri sui & familiares congressus
admissum videbat; quod ipse ego ex-
pertus sum: si quando enim solos nos
colloquendi causâ in secessu delitescere
intellexerat, irrumpebat illa continuo,
causasque petebat ex alto, cur nos tam
intempestivè obturbareret.

Inter jucunda hæc colloquia narrabat
mihi Salmasius, toto hoc anno, quem
Holmiae transfegerat apud Christianam
Reginam, se podagrâ oppressum decu-
buisse, sibique supervenisse aliquando
Reginam, cùm temporis & doloris fal-
lendi causâ libellum legeret, perface-
tum quidem, ac subturpiculum, cuius

Auctorem ferunt Franciscum Beroaldum Vervillam, praefixo hoc titulo, *Rei facienda ratio*; se eum diligenter inter stragula occultasse, ne manus injiciens **Regina obscoena** lectione offenderetur; nec ejus tamen omnia circumspicientis argutum & curiosum oculum effugisse; atque illam arrepto statim & aperto libello, & perlectis saltuatim versibus aliquot subrisisse ad jocosas nequitias, & vocatae ad se Sparræ, nobili & formosæ puellæ, quam habebat in deliciis, certos quosdam indicasse libri locos, quos sibi prælegi vellet ab ea, quantumvis renitente, multoque pudore ac rubore suffusa, solutis in magnos cachinnos omnibus adstantibus. Vtique totius rei historiam accuratius pernoscerem, libellum conquiri jussit Salmasius apud Bibliopolas Leydenses, & eleganter compactum dono ad me misit.

Per eos dies Salmasium inter & Morum, qui sum meus erat contubernalis, gravis exorta est rixa, quæ multas concitatavit turbas, gravemque habuit in vulgus offensionem. Erat in famulatu Salmasiæ puella satis elegans, ad eamque oculos adjecisse ferebatur. Morus, egredius

gius formarum spectator , prisca virginis familiaritate conjunctus , tūm cūm hospitio uteretur Salmasii. Itaque adolescentulæ aderat unā in unis ædibus , assidebat ad mensam ; colloquebatur ; nec amorem interpellabat hera , rem sperans deductum iri ad connubium , atque etiam vehementer optans , reperisse se rata optimam conditionem puellæ , quam diligebat. Cūm ergo incidisset in febriculam Morus , frequens adstabat virgo , juscumisque & sorbitionibus à se paratis & conditis languentem recreabat. Quibus officiis devinctus Mori animus tam constanti asseveratione affirmabat gratum se futurum & memorem , ut has pollicitationes ad conjugii spem pertinere sibi facile persuaserint , & incauta puella , & credula hera ac superba. Hæc cūm intellexisset sanitati restitutus Morus , ab uxoria re valde abhorrens , sensim se Salmasiæ domo & imperio subduxit. Atque hinc exortæ fœdæ contentiones & jurgia. Dolui enimvero tam probrosum sibi decus consciencere homines mihi amantissimos , quod & in damnosas lites cruciferum animo præsentiebam. Itaque officii mei esse duxi , rem , si possem ,

F S in

in concordiam adducere. Favebat proposito huic Golius , vir optimus & pacis amans , ad idque operam suam studiosè conferobat. Jamque diremta videbatur controversia his conditionibus , quas ipse proposueram , & descripsieram in schedula , quasque probaverat Morus , nec adspernatus fuerat Salmasius : sed uxoris demum suæ , cui pueriliter erat obnoxius , consumaciâ victus repudiavit , omni compositionis spe sublata. Lite igitur ad Curiam Hollandicam delata & contestata , caussam Morus obtinuit.

Minime vero impetrare possum à me , ut sermonem mecum hoc tempore ab Alexandro Moro habitum silentio prætermittam , cùm nec id patiatur veritas rerum , quas hac scriptione referendas suscepi. Cùm Salmasium caducum & infirmum , & articulari morbo penè confectum cerneremus uterque , instantemque præfigiremus mortem , quâ post aliquot menses re ipsa correptus est , quæreremque ex eo ecquem Fœderati Ordines destinarent successorem magni Scaligeri successor? Quid si te ipsum? inquit. Ego vero arrisi , quasi ad alludentis amici jocum. Seriò ago tecum , inquit;

quit; ea de te mihi est aliisque existimatio. At ego, inquam, & tenuitatis meæ mihi conscius, etiam si alia omnia suppeterent, quæ & juvenilis hujus ætatis, & nativæ meæ facultatis superant captum, at certè tam discrepantes de robis sacris & Religione sanctis, à quibus ne vitæ quidem periculo velim discordere, gens-ne ista feret in homine ad exemplum juventati ob oculos propositum? Falleris vero, inquit ille, si tantum valere putas apud eos Religionis causam: constent modò cætera, facilis erit dissensionis hujus vel compositio, vel dissimulatio, clam modò res tuas agas, & antecaptis opinjonibus prudenter obsequare, neque res in controversiam adducantur. Sed hæc esse videbantur benevoli potius animi optata, quam certa ejus & explorata sententia.

Me vero exi retrahebat in patriam res familiaris, moram tamen aliquam sine damno interponere me posse censui, tempusque hyemis Lugduni extrahere, per quod me penitus immergerem in Salmasii consuetudinem, atque in ejus etiam convictum, si id modo salva Salmasite pace impetrare possem. Meum jucundum

F 6 dis-

diffimas spes infregerunt literæ Cadomio
ad me scriptæ , quibus magnum præ-
nuntiabatur rerum mearum detrimen-
tum , si redditum vel ad menses duos pro-
traherem. Accedebat & assidua socii mei
importunitas , qui se mihi itineris comi-
tem adjunxerat , fumumque è patriis fo-
cis salientem resorbere vehementer ge-
sticbat. Quamobrem invitissimo mihi
de discessu cogitandum fuit. Ac pri-
mùm necesse habui Amstelodamum re-
verti , ut reciparem debitam mihi ex
Mensarii permutatione pecuniam , neque
ad redditum in Galliam accingerem. Il-
luc quoque me comiter invitabat Vof-
fius , è Suecia redux , uti suprà dictum
est à me. Invitabat etiam majorem in-
modum Alexander Morus , Professoris
illic munere fungens , qui pristinam mihi
benevolentiam non exhibuit solùm ,
sed & novis meritis cumulavit. Quo
mirabilior mihi deinde visa res est , cum
dem illum Morum , cùm post annos
aliquot Lutetiam venisset , tantum à se
fuisse mutatum , ut animum à me planè
aversum , nullà prætextâ eaussâ , præ
se ferret : ea fuit hominis levitas. Vi-
de experimento meo facile intellexi ,
quām

quàm inanes sint spes, pollicitationesque hominum, & summo etiàm studio conalitæ societates & amicitiæ. Sed hæc fuisse à nobis differentur infrà.

Cùm cursitarem per Hollandiam, ac sœpe deambularem supra stupendos illos aggeres, quibus frangitur imminentis maris impetus, & à depressis terris arcetur, rei miraculum his versibus in ipsa arena effusis canere libuit:

*His super edocti, longas molimine
magno
Infixere sudes pelago, sum immania
saxa, &c.*

Intereadum commorarer Amstelodami, convenire vîsum est R. Manassèm ben Istaël, doctissimum Judæum, & ex fama, & ex eruditis scriptionibus mihi jam antè cognitum; hominis interiùs pernoscendi, & de rebus plurimis ad Judaicos ritus & Religionem Christianam pertinentibus percontandi gratiâ. Ac mihi profectò videbatur acutè quidem respondere, sed candidè, nec longè abesse à veritatis notitia; si quidem moderatè cum co & ratione actum es-

F 7 set₂

set, non, uti fieri solet cum hac gente, contumeliosè & præfractè. Has autem disceptationes cùm mecum ipse retractarem, mature perpendens, quæ vel confutatione digna essent, vel confirmatione, hinc demum post longam & attenuatam meditationem Opus illud procudimus, quod *Demonstrationis Euangelicæ* titulo inscriptum est. Prædicabat ille nonnunquam apud me, quod & in *Conciliatore* suo scribere non dubitavit, se Davidem Regem affinitate, liberos verò suos eundem cognatione attingere; seque Davidi nepotes genuisse. Vxorē quippe duxerat ex familia Abrabanielum, inter Judæos pernobili, quæ se à Davide proguatam ferebat.

Erat tum quoque Amstelodami vir veteri mihi familiaritate devinctus, David Blondellus, ex eo tempore quo eramus Lutetiae, crebrisque inter nos collocationibus utebamur, quibus sæpe intererat Claudio Sarravius Senator Parisiensis, optimè de literis meritus. At accitus deinde in Hollandiam Blondellus in Amstelodamensi Schola Professoris munus obtinebat, qui & Collegam habebat cum quem dixi Alexandrum Morum.

Morum. Exstantes ille à natura & extra orbitam prominentes gerebat oculos; iisque ad vitæ usus & assiduam lectiōnem satis commode utentem videram, cùm in Sueciam iturus Amstelodamum primū venirem. At eundem in redditu oculis captum ac planè cæcum deprehendi; & nihil tamen fecius memorie felicissimæ beneficio, qua illi pro oculis erat, persequēntem inchoatum Opus, quo stemma Francicæ Domus à prima origine detexere instituerat, ejusque splendorem ac dignitatem assertere adversus Johannis Jacobi Chiffletii Vesuntini Sequani intemperias. Mirabar equidem hominem familiarum seriem per gradus, per nomina & cognomina, per affinitates & propinquitates, sine oculorum subsidio, accuratè describentem, apposita etiam annorum, mensum, hebdomadum, & dierum notatione. In quibus distinguendis tanta ejus fuit accuratio, & diligentia, quod & reliquis ejus scriptiōnibus licet agnoscere, ut eum Petrus Puteanus *Magnum Datarium* soleret appellare. Per id quoque tempus jueundè fruebar consuetudine Johannis Fridorici Gronovii, quo nem
pene

nem acutius & felicius , neque etiam
cautiūs ac moderatiūs criticam artem
post ornatās literas exercuisse puto.
Quod certè raro nanciscaris inter litera-
tos homines recentioris ævi , cùm sum-
mum sibi jus in prisca Auctorum scri-
pta sibi ferè vindicare soleant , atque ea
sæpe refingere pro captu suo & adulter-
inīs emendationibus à nativa sinceritate
detersos corrumpere.

tini, in qua inesse sciebam vetustos non-nulos codices, quos consuli à me atque etiam pervolvi postulabat. studiorum meorum ratio; & ex quibus etiam nonnulla ut excooperem, enixè à me Vof-sius contenderat. In quibus operam suam benignè mihi præstitit ipse Cœnobii præfectus. Inter Lovanienses Professores nomen aliquod tum gerebat Valerius Andreas, qui Scriptoribus Belgis & Hispanis celebris inclaruit. Salutavi hominem, & in amicorum ejus album referri volui.

Bruxellæ fors in diversorium nos tulit, cujus caupo erat homo Cadomensis. Valde ille lætari visus est, venisse ad se conterraneos suos, nosque excepit laute, & quibuscumque potuit rebus liberaliter nobis commodavit. Magno usui fuit ejus opera in conducendis veredis, quibus in comitatu publici cursoris uteremur. Bruxellâ proximè abest oppidum Hallæ: magna illic religione colitur simulacrum sanctissimæ Virginis, illic in templo collocatum Anno à Christo nato MCCCLXVII. ab Adelhaïde Johannis Avennensis Hannoniæ Comitis uxore, multisque clarum miraculis,

quæ

quæ ad excitandam vulgi pietatem in literas relata sunt à Justo Lipsio , docto & pio bonarum literarum Professore. Quorum memor ego , cùm illac citatis equis iter faceremus , venerandam Christi Christianorumque parentem meritis honoribus prosequi valde optasse , cælestemque favorem votis ab ea exposcerre , si moram hanc tulisset properantis cursoris festinatio , ad cuius ductum me applicueram. Postremo cursus nostri die sub noctem venimus Luparam , quod oppidum est agri Parisiensis ; utque erat Bacchanaliorum tempus , convenierunt nos larvati aleatores , & ad lusum invitaverunt. Submonuerat nos interim caupo ille , apud quem diversabamur , caveremus ab eorum fraudibus , tesseris uti adulteratis , & mala fide aleam exercere. Erant nonnulli in nostro comitatu earumdem artium non imperiti. Dolos illi cluserunt dolis , hominesque suis captos technis argento emunxerunt. Postridie illinc summo mane profecti , reliquum iter paucis horis absolvimus. Difficillimo itaque anni tempore , brevissimis dierum spatiis , lutosis & imbre corruptis viis , pernici cursu , seu potius

vo-

volatu, Lutetiam advenimus. Illic substituimus per aliquot dies, tumque mihi primum patuit ad Aegidii Menagii amicitiam aditus, quæ studiosè inter nos, summaque animorum conjunctione, & omnibus officiis, usque ad ejus obitum exculta est. Vnde & plurimum voluptatis, ob singularem viri elegantiam & urbanitatem, & plurimum etiam utilitatis, ob variam & liberalem ipsius doctrinam percepisse me profiteor.

Nec diu Lutetiae commorati, Cadomum tandem rediimus. Tum primum autem cognitum nobis est, institutam illic fuisse per absentias nostras tempus societatem virorum aliquot ingenio & doctrina florentium, quales multos à veteri ævo, præ ceteris Europæ urbibus, (absit verbo invidia) tulisse se hoc tempore Cadomum poterat gloriari. Academiæ titulo, pro more recepto, decoratus est ille coetus. Statis hi conveniebant diebus in Jacobi Mosantii Briosii, Metensis olim Senatoris, tunc affidui Musarum cultoris, splendidas ædes, in media urbe, opportuno loco sitas. Academiæ proceres erant, præter hunc, quem diximus, Briosium, Nicolaus Mon-

240 PETRI DAN. HUETI
Monsterius Mottæus , Prætor deinde
Cadomensis ; Jacobus Palmerius Gran-
tomenilius ; multiplici literatura ac Græ-
ca præcipue nobilis ; Jacobus Grandor-
gæus Premontius , cuius virtutes , su-
vitatem morum , lumen ingenii & acu-
men , alio jam Opere prædicavi ; Jaco-
bus Savarius , qui sua pangendorum
carminum incredibili facultate usus est
ad venationis leges versibus describen-
das ; Antonius Hallæus , suprà jam à
me , neque fatis unquam laudandus ;
Philippus Sudorius Petivillæus , Senator
Rothomagenis ; & Antonius Garabius
Luzernæus . Atque hi quidem quatuor
in Poëtis Latinis nobile nomen consecu-
ti ; Ludovicus quoque Thorodæus do-
ctrinis Græcis diligenter excultus . Inter
hos præcipue commemorandus venit Jo-
hannes Renaldus Segræsius , Gallico-
rum numerorum laude commendandus ,
potissimum verò suavibus cantiunculis ,
& argutis Eclogis , quo in genere pari-
bus suis merito suo longè antelatus est .
Ac memini me aliquando quæsivisse ex
eo , cùm alias feliciter excoluisset poë-
ticos modos , cur ab Eclogis , quas non-
dum tentaverat , abstinuisset ? Sorderent-
inc

COMM. DE REBUS &c. Lib. III. 147

ne illi Bucolica Virgilii? adspernaretur
ne Theocriti delicias? me quidem Theo-
crito sic affici, ut ad illum recurrerem
quotannis ineunte vere, sub frondenti-
bus arborum ramis, ad philomelæ can-
tum, & murmur aquæ præterfluentis,
totumque relegerem. Tum fortè autem
verni temporis appetebat hora. Subjeci
ergo velle me eum hac voluptate im-
pertire. Quâ ita captus ac delinitus est,
ut ad ejus quoque imitationem compon-
suerit se non vano ausu, cæterisque
omnibus nostratis in molli hoc & fa-
ceto carmine palmam præripuerit. Har-
curianæ Familiæ historiam in hoc soda-
litio contexebat hoc tempore Ægidius
Andreas Roccanus, quo nemo major
ex veteribus libellionum tabulariis re-
rum vernacularum & familiarum no-
stratum notitiam comparavit. Harcu-
rianam hanc historiam thesaurum verè
dicas antiquitatum Normannicarum:
quas cùm propter immensitatem rerum
ad arbitrium expromere non posset in-
vulgus, & intra libellorum, quos emit-
tebat identidem, angustias concludere,
in hanc Harcuriani stemmatis descriptio-
nem pro re nata concessit. In hoc quo-
que

que florenti doctorum hominum conses-
su, politioris literaturæ laudem egregiè
tuebatur Jacobus Callierius, Cæsaris-
burgensis arcis Præfectus, omni pollens
generè humanitatis, à quo Matignonæi
Marescalli vita conscripta est. Reliquos
Academiae hujus sodales brevitatis cau-
sâ prætermisso. Paucis autem postquam
Cadomum reversus sum diebus, venit
ad me Briosius, & nonnulla de nova
hac Academia præfatus, deque eorum
virtutibus, qui in eam fuerant allecti,
me quoque & Bochartum in ejus album
relatos esse significavit. Quo beneficio
non mediocriter lætatus sum, cùm me
in eum Ordinem cernerem esse adscitum,
non mea ambitione, sed patriæ suffragiis,
qui honestissimus videretur esse, meque
in societatem doctissimis ætatis hujus ho-
minibus adjungeret.

Jam ergo post longas excursionses otii
mei compos factus, in Bibliothecæ meæ
latebras me retuli. Cumque assidua lec-
tione oculos intemperantiùs fatigassem;
gravissima in eos erumpente pituita,
morbum eum contraxi, quem Epi-
phoram veteribus Medicis placuit ap-
pel-
— W. H. —
— An. 1854.

pellare. Quo morbo crebris intervallis tentatus fueram à pueritia. At præ aliis cunctis permolesta fuit & diuturna hæc accessio. Quam postquam remisisse sensi, visum est Lucretiano carmine celebrare, eoque Moruna impertire, quem versuum esse sciebam & amatorem & artificem. Munus ille nostrum magna grati animi significatione ac suis itidem versibus prosecutus est. Accesserat ad ea crebra literarum consuetudo, quæ tamen lapsu temporis & intervallis locutum, non desita quidem fuerat, sed idem intermissa. At cum accitus deinde Lutetiam fuisset à Calvinianæ factionis proceribus, refloruit inter nos pri- stina illa necessitudo, usitatumque nobis olim, dum Amstelodami essemus, versuum ex tempore pangendorum momen- tem repetimus. Memini equidem faceto quodam Epigrammate me aliquando provocatum ab eo, statim hoc ei re- posuisse carmen, & per eundem ser- vum misisse:

*Jam pridem resides nostro fab peatore
flamas,
Divina Phœbi munera; &c.*

Ac

Ac speraveram equidem de nostra pre-teriti temporis familiaritate, tam laetis susceptam inter nos auspiciis amicitiam, nulli diuturnitati temporis, nullis fore easibus obnoxiam, eamdemque Lutetiae futuram vitae rationem & conjunctionem, quae fuerat Amstelodami. Verum mea me spes multum fefellit: sive enim Parisinæ urbis cultu & tumultu, sive muneris quo tunc ille fungebatur administratione jactatus & diftractus, mihi tandem penitus elapsus est; adeo ut vel levissimis ac communibus vitæ civilis officiis planè deesset, neque ullam haberet omnino rationem querelarum, quas à me veteris nostræ necessitudinis admissus ab eo contemtus exprimebat.

Per illud tempus schedulam misit ad me Bochartus, quâ rogabat, si mihi esset ad manum Anthologiæ exemplar aliquid, in quo reperiretur carmen Pauki Silentiarii de Thermis Pythicis, id ad se mitterem, deque illo carmine quid sentirem, ac præsertina quid esse putarem hanc πτερων τιτλανη, cuius illic sit mentio: se quidem pro πτερων, quæ vox ignorabilis esset, legendum censem

Mibi certè visa est primo conspectu maxima inesse carmini huic rerum omnium perturbatio; neque ullum inde excipi posse sensum speravi. Nec aliter censuit Bochartus; cui tamen re attentiùs deinde explorata significavi comprehendisse me, exceptos fuisse carminis hujus versiculos ex veteri codice, in quo propter brevitatem ita essent descripti, ut in singulis pagellis binas constituerent columnas; sed eo ordine, ut inter legendum primo prioris columnæ versui primus alterius columnæ versus esset subnectendus; secundo prioris secundus alterius; & sic porro in consequentibus; at aliter factum ab incauto & imperito Librario, qui nulla habita sensuum ratione, totam priorem descripsit columnam, & totam deinde akeram, atque idem peccatum esse in sequentibus pagellis; unde enata esset ista versuum & sensuum confusio, quæ facile sanari posset, si restituto legitimo ordine suas sedes singulæ repeterent: in vocabulo autem πιτάκη nihil mutandum; nomen quippe id esse regionis Psittacenes, quæ & Pittace, & Sittace, & Psittace dicebatur.

G

Ve-

Venit itidem ad me eodem tempore schedula altera à Palmerio, quâ sententiam meam rogabat super Leonidæ Alexandrini Isopsephis, quæ commemorata exstant in *Anibalogie*¹. In quo missatus sum profecto, neque Palmerium hominem doctum & acutum, neque Jo-hannem Brodæum, cruditissimum *Anibalogie* Interpretem, ac ne ipsum quidem Henricum Stephanum, satis pervidisse quid essent ista Isopsepha: quæ si non aliud, at ex Artemidori certè *Onirocriticis*² cognosci possent. Rescripsi itaque ad Palmerium, Grammaticos Græcos nimium nugatores, in minutis & ineptis observationibus valde inutili-lem operam posuisse, ac propter ea de-gisui fuisse sequenti ætati, ut intelligere licet ex Gellio³. In his nugis ponitur Grammaticorum illorum disquisitio de Homeri Isopsephis, hoc est, versibus, qui collecto literarum singularum, qui-bus constant, valore cumdem numerum explent. In hujusmodi versibus con-singendis laudem quæsivit Leonides ille. Scribebat epigrammata quatuor ver-suum,

¹ Lib. 6. cap. 12. ² Lib. 3. cap. 34. &c
Lib. 4. cap. 26. ³ Lib. 14. cap. 6.

sum, quorum priores duq; versus lite-
ris constarent ejusdem valoris & nume-
ri, ac duo sequentes. Relata ea sunt in
Anthologiam; atque operosum hoc &
fatum artificium deprehendet is, cui
tantum ab re sua erit otii, ut eos velit
ad calculos revocare. In his tamen epi-
grammatis unum occurrit, quod est duos
rum tantum versuum, & quod negoti-
tum præ reliquis omnibus facebat
Palmerio, cuius tamen liquidissimus hic
est sensus, horum duorum versuum
ισοψηφίαν priorem sequenti opposendum,
ut eoram cognoscatur *ισοψηφία*: non ut
in reliquis epigrammatis, quæ quater-
norum sunt versuum, priores duos se-
quentibus duobus; se quippe jam aver-
sari prolixitatem hanc quatuor versuum;
& in duabus tantum, uno uni opposi-
to, industriam suam velle se experiri.
In hujusmodi ineptiis versatur ars recen-
tium *Judæorum*, quam Gematriam
appellant, quas videntur à Græculis
esurientibus, ut & Gematriæ, hoc est,
Geometriæ, nomen accepisse.

Eodem circiter tempore cum esset
Luterus quasi de compacto, accessit ad
Emericus Bigotius rogatum senten-

G 2 tiana

tiam meam super obscuro quodam ejusdem *Anthologiæ* loco, inter ipsum & Grævium controverso. Intercedebat autem mihi vetus consuetudo cum Bigotio & consanguinitate propinquo & studiorum communione conjuncto. Adscendimus in Bibliothecam libri ipsius de promendi & consulendi gratiâ: cùmque plurimas notas animadvertisset ad oram allitas, pro more quem in libris legendis tenere soleo, scripsit ad Grævium, qui tunc novam *Anthologiæ* editionem meditabatur, magnis locupletatam incrementis, ac præcipue luculenta & versibus adstricta Grotii interpretatione, multa me ad eam adnotasse, unde melior fieri posset. Hæc secum statim communicari voluit Grævius, & crebris literis ac vehementi obtestatione flagitavit à me eorum se ut facerem participem. Nec omnibus sum honestæ amici viri petitioni, & ad limbum codicis mei adtextas observationes excerpsti, & ad eum misi. Cùmque sœvientibus per Europam bellis refrixissent Mercatorum & Librariorum negotia, totos decem annos jacuit in Grævii forulis libellus noster, quoad ipsi placuit subiectere ipsum Carminibus
no-

nostris, quæ benevolo animo Ultrajecti-
nis typis recudenda suscepserat.

Hærebant interea ad littus Hollandi-
cum, duobus jam propè abhinc annis, sar-
cinæ meæ, quas ex Suecia reportaveram,
neque potueram efferre per Belgium.
Cumque in intimis meis præcordiis infixæ
esset à primis vitæ annis, arcana quidem at
vehemens tamen Ecclesiasticæ militiæ ca-
pesciendæ cupido, ad idque non parum
conducere videretur suscepsum à me Or-
igenis interpretandi & illustrandi con-
silium, miro æstuabam desiderio recu-
perandæ meæ librariæ supellectilis, quam
ad Origenianum Opus comparaveram,
& appellendi animi ad eas artes, quæ
virum sacris deditum decent, & in re-
rum divinarum tractatione subigendi.
At revocatis tandem ad pacis conditio-
nes Anglis & Hollandis, apertoque
mari, redierunt ad me tandem vasa mea
& arcuæ. Jucundè sanè degustavi per
otium collectos labore meo fructus, &
in horrea mea recondidi. Hos inter præ-
cipua mihi cura fuit Commentarios O-
rigenis à me descriptos retractare; ad eos-
que Latinè reddendos, & observationi-
bus meis exornandos, & reliquis hujus

Auctoris , ejusdemque generis scriptiō-
nibus , quascunque nancisci possem , ad-
jungendos sedulo me comparare . Tum
quoque venit ad me Bochartus , meam-
que Commentariorum Origenis descri-
ptionem sibi exhiberi voluit , ut lecum
allum controversum de Eucharistia , plu-
rimorumque disputationibus vexatum , at-
tentius perlegeret . Qui cùm totam ferè
ampleat paginam , versiculi unius pen-
dula visa est & manca sententia , quasi
ex eo excidissent pauca verba aliquot .
Nec id mihi satis certò constabat : quo-
ad ex antiquo Regiae Parisiensis Biblio-
thecæ codice intellexi , nimia mea in-
scribendo properantia factum esse , ut
paucula quedam prætermissa fuerat in
meo exemplari , quæ levis erant vel nul-
lius penè momenti ; atque id contigisse
ex versus ejusdem iteratione , uti saepe
fieri experiuntur , qui libris describendis
vacant , quemadmodum & ipse agnovit
Hieronymus. Adhibito igitur regio co-
dice statim resarsi integritatem hujus lo-
ci , & omissa vocabula supplevi . At Bo-
chartus insano partium suarum abreptus
studio , priscæque nostræ amicitiaæ , &
mei candoris sibi jamdiu perspecti pa-
rūm

rūm memor , scriptis ad gregalēs fuos
quaquaversus per Europam literis , O-
rigenem non bona fide à me descriptum
cīcē conquestus est. Quæ cūm ad me
perlata essent , tuli scilicet ægerrimè no-
minis mei decus ab homine amico per
calumniam esse violatum. Quam inju-
riam ego quidem expostulavi cum eo le-
nissimis verbis , at non æquis auribus
accepta est haec conquestio. Quo facto ,
iniquo certè & inhumano , directa est ,
sed summo meo dolore , confata inter
nos tot annorum usū , tot officiis ani-
cacia.

Ab hoc tempore ad Origenem curas
meas omnes operaque contuli , & si
qua me aliorum avertiebat lucubratio ,
in eam excurrere , in uno penè videbas
Origenem habitare. At cūm multa hinc
& inde mihi petenda essent subfida , &
principiè ex Bibliotheca Regia , in qua
multa delitescere cognoveram monu-
menta Origenis , ac crebra idcirco illuc
suscipienda itinera , res abiit in longitu-
dinem , & ultra decennium protracta
est. Quæ fusè à me exposita sunt in
Prolegomenis Commentariorum Origenis.
Sed & alter inde mihi succrevit labor ,

G 4 quem

quem horum editioni prævertendum
duxi. Cùm enim in iis Latinè redden-
dis strenuè me exercerem , pressumque
sequerer & adstrictum interpretandi ge-
nus , nec ab eo Auctore fas esse putarem
vel latum unguem discedere , injectus
animo meo est scrupulus , recta-ne illa-
essem & æqua interpretandi ratio , & an-
ætati huic placitura ; quæ vagis & laci-
niosis videbatur interpretationibus de-
lectari . Quam quoniam controversiam
nondum dijudicatam , imò ne docto-
rum quidein hominum disceptationibus
satis expensam esse sciebam , hoc argu-
mentum mihi sumsi singulare opere per-
tractandum , quo immoderatam Inter-
pretum licentiam coercere conatus fum;
eosque potissimum , qui in Libris sacris
transferendis suam navant operam , in-
ter certos ac legitimos fines continere.
Quibus si stetissent sanctorum Codicum
contortores , qui in iis transferendis quid-
vis sibi licere censentes temerè grassati-
funt , sua constaret priscis & sinceris sen-
tentiis integritas . Hoc primo studiorum
meorum fœtu doctorum hominum ten-
navi judicia , & popularis auræ feci pe-
[Ille]

An. 1661.

riculum. Hunc grandi carmine & splendidis laudum nostrarum præconiis prosecutus est Antonius Hallæus, Præceptor quondam meus, quibus credidisse dona ipsum sua, debitamque sibi eam, quæ in me erat, scribendi Latinè facultatem celebrasse. Qua optimi Magistri amica testificatione decoratum esse me, & tunc fuit mihi sanè perjundum, & nunc est etiam valde honorificum. At postquam vulgi judicio permisus est liber ille *De Interpretatione*, venit ad me Johannes Baptista Cotelelius, homo pereruditus, impensè deditus Græcis literis & Latinis, prisorumque Ecclesiæ Patrum detergendis libris & purgandis; meque amicè commonefecit, peccasse me nonnihil alicubi, quod emendari posset in exemplaribus nondum distractis. Ego verò agnovi humitatem viri, meumque errorem; quem tamen mihi jam deprehensum & emendatum ostendi ei in meo codice. Faciles interim versus & levia carmina spargebam in vulgus, Academicorum sodalium invitatus exemplo, nonnunquam & lassitus, quorum in pangendis præcipue carminibus cnitebat industria. Atque ita

etiam obsequi videbar moribus patris,
 & priscam Cadomi pro mea parte lau-
 dem tueri. Jamdiu enim est, cum reli-
 quis Galliae urbibus palmam musicam
Cadomum præripuit; ut non illepidè
 dici vulgo soleat, alias urbes carmina
 contexere in conclavebus, Cadomum
 palam in apertis officinis. Quæ satis co-
 declaravimus libro, quem *de Originibus*
Cadomenibus conscripsimus.

Quo tempore inter bonarum literarum
 cultores aliquo numero habeti cœptus
 sum, vigebat tum maximè Critice ars;
 in eamque tam alacri ferebantur animo,
 quicunque eruditionis affectabant lau-
 dem, ut in una veterum Auctorum
 emendatione, in retrahendis fugientibus
 literulis, in hiulcis locis supplendis, in
 sanandis ægris & luxatis sententiis, in
 discernendis spuriis & extrinsecus assutis
 segminibus, omnis studiorum versaretur
 industria. Acutæ ad id adhibebantur
 conjecturæ, specie quidem veritatis
 commoventes animum, sibique fidem
 facientes, at fallaces tamen sæpenumero
 atque falsæ. Imprimis verò quæreban-
 tur magnis impensis, longèque peteban-
 tur præca exemplaria, è quorum colla-
 gio-

tione recentiorum labes tollerentur, vel
in scitiâ Librariorum aut supinitate, vel
lapsu temporum, vel attritu & lacera-
tione codicum inductæ. His certe malis
quærendum remedium fuit, quod uni-
cum in Critices subsidio possum fuit,
cujus inventæ laus Aristoteli tributa est.
Multi deinde in eo genere elaborarunt
apud Græcos, & apud Romanos; ne-
que eorum nomina interire passa est gra-
ta doctorum hominum mémoria. Nec
Ebræis sua defuit Critice, quam exerce-
bant ii qui Maforethæ appellabantur.
Senserunt namque & hæc incommoda
Volumina sacra, variantesque eorum le-
ctiones collectæ sunt & editæ. Et sanc-
post horrendam illam caliginem, qua
tot annos in rem Christianam & litera-
riam incubuit, renascentibus literis fe-
liciter obstetricata est Critice, per quam
pristini ævi vibices ferè sunt oblita-
tæ. Nunc autem in hac luce literarum,
post navatam tam diutornam tamque
affiduam in emendandis veteribus libris
operam, sucque jam splendori restitutis,
totum vitæ tempus in eadem palæstra
conterere, uti factum videbam à Grute-
ro, Fabro, aliisque compluribus; nec

aliud laborum suorum auctupari præmium: hæc verò ignobilis mihi visa est, & pusillo-animo digna exercitatio; necessaria certè, at humilis tamen, qualis illa farritorum est, quibus hortuli mei noxias herbas legendas mando; ego fructus comedo, & recondo.

Nec multò majore laude digna visa est Linguarum peritia, cuius ingens erat tum quoque inter Eruditos commendatio, flagrabatque earum studium propè ad insaniam. Scio equidem suam inesse in iis utilitatem, atque etiam necessitatem; nec certam colligi posse vetustatis notitiam, quâ continetur optima pars humaniorum literarum, sine illarum Linguarum subsidio, quibus usæ sunt eæ gentes, quæ inventas à se & excultas disciplinas ad nos transmiserunt: ancillarum modò habeantur loco, quæ cultu captandæ primùm sunt ab iis, qui ad dominas, nobiliores scilicet disciplinas, affectant viam. Linguis sic tanquam clavibus referantur fores doctrinæ. Quicunque Linguarum notitiâ contenti, consistunt in limine, & abstinent pentalibus disciplinarum, similes eos dico janitorum illorum, qui gestantes in finu cla-

claves multarum januarum , foris ipsi
cubant sub dio.

Dum certam comparare mihi studi-
rem antiquitatis notitiam , & ad ipsos
eruditioris fontes pervenire , sive sacros
Scriptores adhiberem in consilium , sive
exoticos , nulla mihi gens ad doctrina-
rum propagationem plus contulisse visa
est quam *Ægyptia* ; neque satis tamen
pro dignitate ac merito cognita & docto-
rum hominum studiis illustrata ; nam
& summæ sapientiæ testimonium huic
perhibent sacri Codices ; & magistros
fuis *Ægyptios* agnoscit ac prædicat ve-
tustior & doctior *Græcia*. Et tamen le-
viter delibatam & ferè neglectam cerne-
bam hanc partem literarum. Nondum
perscrutari eam at explanare ingentibus
voluminibus aggressus fuerat Athanasius
Kircherus , uti deinde factum ab eo est ;
vel certè nondum ea ad nos perva-
rant. Neque profectò postquam facti
sumus eorum compotes , tantum reperi-
mus contulisse eum doctrinæ atque fa-
lis , ad id explicandum atque exhaustio-
num argumentum , quantum pompæ &
jactantiæ. Longè majus doctrinæ in-
strumentum collegit ad hanc disquisitio-

nem Johannes Marshamus , paresque propemodum oneri vires exercuit . Sed haec postea fuere , neque tamen desideriis nostris satisfactum est . Nos quoque jamdiu volvebamus hoc faxum , grandemque observationum & commentationum Ægyptiacarum supellecstilem congesseramus publicis usibus nec indignam nec inutilem , cum repentino ædium nostrarum Parisinarum casu literariae meæ opes conturbatae & attritæ ita considerunt , ut vix paupertinæ aliquæ & laceræ ex hoc naufragio tabulæ servatae sint : nunc sequamur seriem rerum & temporum .

Per illos dies in Cadomensi rusticabamur agro , ego , & Savarius , suprà ame commemoratus . Mihi ille saepe in umbraculis arborum prælegebat carmina sua , quibus onustus & suffarinatus solebat incedere . Iis autem non venandi solùm fusè descripserat leges , sed in omnis quoque generis argumentis , & in moribus præcipue municipum nostratum carpensis fuerat versatus , tam larga & affluente ubertate , ut si minùs amoenitate & elegantia , at copia certè Poëtas omnes , quos unquam vel de fama

ma noverim, visus sit superasse. At nullum tamen ad hanc diem versiculum emiserat in lucem. Quod ut faceret, nec publico tantas opes invideret diatius, neque sua se ipse fraudaret laude, placide hortabar; nec frustra; grato enim animo accepisse visus est orationem hanc, perfractisque post paucos dies carceribus, tanta vis carminum erupit in vulgus, ut impleverit tabernas Libreriorum; opificesque laborando, nos legendo valuerit delassare.

Ut autem vernæ tempestatis deliciis ac rusticationibus valde delectatus sum ab incunte ætate; neque mihi ullum erat rus quò secederem, invitabant me comiter ad se amici quidam mei, quorum amoenæ erant vilæ in vicinia. Arridebat mihi præ cæteris quædam ex illis posita ad Meridiem, affinis circum & inversum longis virentium quercuum ordinibus eleganter exornata; sed multò magis ipso prædii domino, Francisco Petito Vaconio, florentis ingenii viro, & literis apprimè dedito. Hanc etiam amoenitate superabat alia sita ad mare obsepta rupibus, quæ fluctibus prætentæ, ab iis que excavatae, laterum objectu cryptas

cryptas efficiebant; in quas abditus, atque uno comitatus libello, totos dies delitescebam, magna animi mei voluptate, cum jucundissimo fruerer spectaculo, vel placidi maris, naviumque faventibus ventis prætervolantium; vel tumidi, cum è terra cernerem eas in discrimine. Facilè itaque in jucundis illis secessibus per æstivos dies urbe carebam & domo mea; nec nisi invitus, suavissima solitudine relicta, turbæ me committebam, conjiciebamque in urbanos tumultus, sed velut injecta manu in Bibliothecam meam me retrahebat Origenes, cuius editionem psalm suscepseram, nec à se diu abesse patiebatur.

Origeniani ergo Operis amplificandi gratiâ Lutetiam reversus sum hoc tempore, & deinde etiam sæpius; cum mihi petendæ essent à Biblioteca Regia suppetiat, vel ad describendos vetustos codices Amanuensium operâ, vel certè consulendos, aut cum meis conferendos. Tum quoque cura fuit, & veteres amicos revisere, & novos comparare. Quos inter ac præcipuos, ponendum duxi Johannem Capellatum, cuius tam magna erat inter politioris humanitatis

viros existimatio egregiis partis Operibus, & poëticis præcipue, & felici literarum cultu, quem ad Philosophiae etiam & Mathematicarum artium studia provexerat. Testis Gassendus, insignis ætatis hujus Philosophus, qui & ornamento sibi esse Capellani amicitiam declaravit. Nec moror minutos quosdam & lividos Poëtas, ex obtrectatione & scurrili sua dicacitate laudem quærere solitos, Capellani nomini infestissimos, cuius nec exæquare merita, nec gloriam maledictione sua potuerunt. Quámque vana sint & inepta eorum judicia, vel ex eo clarissimè liquet, quòd cùm in proscindendo *Carmine ejus Epico de Puel-la Aurelianensi* malignitas eorum potissimum fe exseruerit, de re sibi ignota fecisse eos arbitrium manifestum est. Quippe dimidiam tantummodo Operis hujus viderunt partem, quam solam edidit Capellanus. Vnde certissimè constat nec agnosci ab eis potuisse Carminis fabulam, neque actionem, neque constitutionem, neque ordinem contextumque partium, quibus rebus natura Carminis Epici potissimum contingetur. Fattendum quidem est non satis attendisse

Ca.



Capellanum ad ætatis hujus, gentisque nostræ indolem & ingenium, molle, fastidiosum, remissum, diuturnæ attentionis impatiens, ac propterea ad Carminis Epici majestatem & sublimitatem ægrè se attollens. Vix homines nostros sine oscitatione, certè non sine languore, odarium integrum videoas posse percur-
rere. Foti sunt in cantiunculis; in ar-
gutis, & vibrantibus, & tinnulis Epi-
grammatis. A feminis, quæ omnia apud
nos possunt, orta primùm est hæc mol-
lities, & viriles infregit animos, to-
tamque gentem labefecit. Nos autem,
qui totum Capellani Opus perlegimus
attentè, pro certo possumus affevarare,
~~suo illud non carmen~~ fuisse honore,
meritisque laudibus, si melioribus tem-
poribus, aut inter robustiora & æquio-
ra ingenia existisset. Quamobrem affen-
tiri non possumus. Montauferri & Con-
rarti judicio, quos Carminis fui æstima-
tores & arbitros testamento suo consti-
tuerat Capellanus. Postquam enim tam
adversariam expertus fuerat auram, ab-
solvit nihilominus alteram suscepit Ope-
ris partem gravissima adversùs iniqua
vulgj judicia præfatione munitur, ejus-
que

que vel edendæ vel premendæ potestatem amicis hominibus permiserat. Hanc illi immerentem perpetuis damnaverunt tenebris, & abolendam censuerunt. A qua censura, pace magnorum virorum dixisse liceat, longè recedimus: nam Operi integro, suisque omnibus instructo partibus, si sub unum adspectum, oculosque eruditos, non livore excæctos, veniat, sua constabit dignitas, palamque fiet ejus cognoscendi facultatem neutquam fuisse posteritati detrahendam. Me Capellanus in intimam admiraverat familiaritatem, inceptisque meis & conatibus magnopere favebat; & ne per absentiam langueret coalita inter nos consuetudo, credro & constante perficiebat officio literarum, cui nec ipse deeram, mutuaque erat inter nos studiorum, scriptionum, ac cogitationum communio. Testis meæ erga ipsum voluntatis, Itineris mei Suecici descriptio; quam cum suo nomine inscribi à me postulaverit, rem sic interpretatus sum, exstare eum voluisse publicum conjunctio- nis nostræ monumentum. Sed & aliam præterea causam habuit Capellanus, cur munere hoc decorari à me voluerit.

Jam

Jam eruperant igniculi quidam fœdæ
hujus simultatis, quæ vetustam illius
cum Menagio necessitudinem dissociave-
rat. Cūmque Menagium epistolâ quâ-
dam essem prosecutus, satis in vulgus
probatâ, quâ & meum in ipsum studium
deque hominis virtute opinionem decla-
raveram; quasi prælatum sibi hac testi-
ficatione Menagium, non sine subrusti-
co quodam litoris sensu judicans, idem
à me officium apertis verbis extorquere
non erubuit. Ut autem palam appareret
nostrum de poëtica ejus facultate judi-
cium, hoc eum carmine, quod fronti
Operis præfixum est, compellavi:

*Dulcia nobilibus dum dividis otia cu-
ris,
Claraque magnanima committis facta
Puella
Postera mansuris quondam per sœcula
chartis,
Et numeris divinum æques, Capellane,
Maronem,
Hic ego deductum meditor tibi dicere car-
men,
Et longam sermone viam narrare pe-
destri;
Hinc*

COMM. DE REBUS &c. Lib. HI. 165

Hinc porrò majora parans, & ver-
bus olim

Inde aliis, aliisque tuos dicturus bo-
nores.

Contractam facilis nunc ergo exporrige
frontem,

Si magnis animum fas est avertere re-
bus,

Hibernisque procul subjecta Trionibus
arva

Decurre & mecum casus evolute ma-
rinos,

Quaeis me elim primo pubescens flore
juventus

Jactatum implicuit, propius spectare
volentem

Didita Christinæ variis miracula ter-
ris;

Christinæ, quæ tum sceptro spectabilis
aureo

Ibat, & attentis dicebat jura Suecis:

At nunc sceptra super fragilesque evecta
coronas,

Ardua magnorum superat fastigia Re-
gum.

Splendidas quoque commendatione sua
Capellanus mihi conciliavit amicitias,

com-

communisque utrumque nostrum amicis. uti voluit: in his Henrico Ludovico Flaberto Memmorio, Libellorum supplicam Magistro, omnis doctrinæ & sublimioris & humanioris amantissimo. Apud eum certo per singulas hebdomadas die, certaque hora conveniebat magnus doctorum hominum cœtus, habebanturque inter eos utiles & eruditæ de rebus Physicis dissertationes, quibus & ego intereram sæpenumero, measque etiam aliquando scriptiones philosophicas cognoscendas illis & dijudicandas permittebam; velut illam, quæ à me clucubrata fuerat per illos dies, super guttis illis vitreis, ex Germania recens ad nos advectis, quæ defraçto summo apice totæ in vitreum pulverem magno impetu solvuntur. Dissertationem hanc legi sibi voluit universus ille doctissimum hominum conventus, quæ incognitam in Gallia ad hanc diem hujusmodi ampullarum materiam, compositionem, fabricationem, & formaturam conjectura asséqui fueram conatus. Quod & feliciter à me factum esse compertum demum est, postquam ad Vitriarios nostros certa pervenit sci notitia. Magno erat de-

decori Collegio huic Petrus ille Gassendus, quem dixi, inter primos etatis hujus Philosophos merito suo reponendus. Cui quamvis erat cum Mommerio hospitium & domesticus usus; hic vero videtur sectam ejus persequi, & Epicuri doctrinam probare, occulte tamen favebat Cartesio, cui palam adverfabatur Gassendus; nec aliam ob causam creditus est conventum hunc Philosophorum apud se instituisse Mommerius, quam ut eorum animos Cartesianis dogmatis assuefaceret, & in hanc sectam sensim pertraheret. Visebam etiam interdum ad Claudio Hardisium, Castelleti Parisiensis Senatorem. Magna sum ejus existimatio erat atque fama in disciplinarum Mathematicarum scientia, cuius specimina palam exstant; plus tamen opum habens in recessu quam fronte promittebat. Cognitus mihi tum quoque est Honoratus Buelius Racanius, Francisci Malherbae municipis nostri praceptoris ad poeticas artes feliciter quondam instructus. At casus me ad Gabrieli Madeleneti amicitiam applicuit. Cum enim in libraria taberna percurrentem indices librorum, Poeta-

-GUMA-

rumque aliquot recentiorum nomini-
bus lectis, eorum mihi copiam fieri po-
stularem, intervenit Madelenetus, exhi-
bitosque libellos mecum cœpit evolvere.
Cū inque selectos aliquos, & melioris
notæ pretio redemisse, Video te, in-
quit, delectari carminibus, & ad has
suavitates sapere palatum tuum; at mi-
hi nonnullæ quoque fappetunt, quas
tibi præbere possim, nec tu fortasse fa-
stidas. Similē ille chartas protulit è fac-
culo, in quibus descripti erant versiculi
non publici saporis: quos postquam le-
gi, *Ex illo Corydon Corydon est tempore*
nobis, & Madelenetum amicum habere
volui, cumque inter Poëtas non humili-
jimi spiritus, sed etiam antiquis pares
recensendum judicavi. Nec multo in-
feriorem posuerim Peyraredum, qui
doctorum hominum frequentabat do-
mos, & sæpe mecum disserebat de poë-
ticis rebus, quas nec infeliciter tractabat
ipse, & inter cujus lucubrationes eæ ce-
lebrantur præcipue, quibus versus Vir-
gilii imperfectos completere tentavit.

Lustrabam tunc assiduè Bibliothecam
Regiam, cùm aliorum studiorum meo-
rum, tūm præcipue Origenis caussā,

cū

cui illustrando & ad editionem ornando totus incumbebam. Illic autem saepenumero videbam Antonium Varillasium Garactensem, diligenter evolventem codices Regios, & haurientem ex illis fontibus accuratiorem historiæ Francicæ notitiam. Perseveravit ille quidem in hoc studio per multos annos; nec alium puto quemquam ad illustrandas res Gallicas tam divitem contulisse bonarum observationum suppellectilem, tam locuples historiæ domesticæ penu. Mirabile præterea est hominem umbraticum, & scholastico pulvere sordidum, nullo cultioris vitæ, nullo elegantiarum aulicarum usu expolitum, stylum tamen habuisse ad scribendum, nec impurum, nec invenustum; cùmque ad res agendas, ac publicas præcipue, planè inexercitus fuerit atque rudis, de iis tamen disseruisse, nec dubitanter, nec ineptè. Sed egregios conatus infregit immoderata hominis confidentia, haud minus conjecturis suis & suspicionibus tribueritis, resque nullo sibi Auctore compergas, & planè confictas, eadem fiducia & asseveratione referentis, ac si testis ipse oculatus adfuerisset.

Urbis Cadomi ichnographiam accuratè jam pridem descripsérat Gombustus, peritissimus hujusmodi operum artifex, conductus ad id à Decurionibus Cadomensibus, numeratâ etiam in antecessum pecuniâ. Cùmque ipsius obitu desertum opus aliquot annis jacuisset, conveni hæredes pacti jam immemores, & ad præscriptas conditiones revocavi. Hinc prodit eleganissima hæc, quæ circumfertur, Cadomi, patriæ nostræ, descripta lîneis figura à Binione scalptore in æs incisa, Anno MDLXXII.

Cadomum venit per illos dies Michaël Neuratus, intima societate Gassendo conjunctus, & particeps controversiarum, quas hic & Franciscus Bernerius habuerunt cum Johanne Baptista Morino Mathematico, eorumque libris celebratus. Venit illuc in comitatu Principum Longavillanorum adhuc puerum, quorum regendis studiis fuerat præfectus, diuturnamque in his locis moram fecit. Utque erat imprimis deditus federali scientiae, deprehendebam eum saepius inero ex arce Cadomensi, cuius in omnem partem latissime patet prospectus, stellarum situs motusque obser-

van-

vantem, ad idque conspicillo utentem, tres tantum quatuorve pedes longo, quo tamen falcatum Veneris astrum facillime cernebatur. Ridiculum dictu est, vixque credibile, nomina hæc Michaëlis & Neuræi, quæ gerebat, nativa non fuisse, sed adscita & commentitia. Cognoscere enim licet ex *Miscellaneis Chevræi*, qui popularis ejus & condiscipulus fuit, natum hunc esse Julioduni in Pictonibus, Laurentium Mesmara vero nomine dictum, Cartusiano Ordini solemnibus votis adstrictum, totos triginta annos apud Burdigalenses egisse; & vitæ tandem hujus ac germani nominis pertæsum aham induisse personam; ac Lutetiæ demum Michaëlem Neuræum factum, novoque cultu ornatum prodiisse.

Is postquam Principum horum magisterio amotus est, juventutis eorum moderator accessit Petrus Fortinus Hoghera. Magnam is tulerat solertiae & sapientiae laudem ex luculenta scriptione, quam senior jam factus, militaribusque defunctus laboribus, liberis suis ad virtutem excitandis & informantibus elaboraverat in domestico secessu, & praefixo Testa-

menti titulo ediderat. Prodierant hi liberi ex ejus conjugio cum sorore Harduini Perefixii, ejus qui post imbutum literarum præceptis Ludovicum Regem nostrum Archiepiscopatu Parisensi donatus est. Eosdem sensus Fortinus, eamdem civilem & exquisitam prudentiam longo rerum usu partam, quam in libro suo depromserat, contulit ad extollendos juveniles Principum animos, & ad paternarum virtutum exemplum compendos. Dumque in iis liberaliter educandis & instituendis omni cura & cogitatione versaretur, utebar eo familiariter, fierique conabar excellentis hujus virtutis exemplo emendatior. Quo manere postquam defunctus est feliciter, memor plausum, quos priore sua scriptione excitaverat, majores etiam sibi spopondit ex altera, quâ politicæ disciplinæ elementa tradere instituit, præser-
tim cum majorem adeptus esset in otio antiquitatis notitiam, bonorumque librorum lectione eruditior factus, plus doctrinæ in id opus contulisset. At res longè aliter cecidit ac speraverat: de-
serto enim excellentis naturæ, quâ pol-
lebat, auspicio, quam unam fuerat pri-

ma

ma scriptione secutus , cùm ad alienum ingenium accommodasset suum , longè eo , seque adeò ipso visus est inferior.

Felicem mihi dedit hic annus proveni-
tum doctorum amicorum : nam præter
eos , quos proximè commemoravi , ad
ineundam secum consuetudinem beni-
gnè me invitavit Petrus Maridatius , in
Magno Regis Confilia Senator , cùm
scriptis comiter ad me literis , tūm mu-
nusculis liberaliter missis . Quamvis au-
tem nullæ doctrinæ suæ fœtus ediderit
in lucem , at illustribus tamen homi-
num eruditorum amicitiis , & splendida
ac locuplete Bibliotheca , cuius usum
facilè permittebat studiosis , id consecu-
tus est , ut nomen ipsius in fastos litera-
rios referretur.

Magnum interea me tenebat Mambru-
ni mei desiderium , qui cùm Theologi-
cæ Scholæ Flexiensis Collegii aliquot
abhinc annis præcesset , diuturniore
etiam illic , dum munere hoc fungere-
tur , moram facturus videbatur . Id ita-
que amicitiæ nostræ debere me censui ,
ut cùm ad me venire non posset , nec
traditam sibi provinciam deserere , cum
ipse convenirem . Accedebat & gravior

itineris hujus suscipiendi caussa. Jam
diu erat quod conscientiae meae non sa-
tis perlustraveram recessus, nec coram
Deo explicaveram. Ferè fit enim, ut re-
rum vulgarium studiis à Dei cultu, &
cælestis vitæ contemplatione, ac severa
etiam morum emendatione facilè abstra-
hamur. Quibus procurandis opportunum
fore existimavi Flexiensem secessum, &
utilia Mambruni consilia. Ad eum ita-
que magna alacritate me contuli; &
post suavissimos de rebus ad utrumque
nostrum pertinentibus congressus, totam
mihi ex beati Ignatii Loyolæ instituto
seponendam hebdomadem statui, per
quam attente recognoscerem anteacti
temporis noxas, moresque meos, &
reliquæ vitæ tenorem ad Divinæ Legis
normam accuratiùs componerem. Atque
utinam propositis bona fide stetissem!
sed transversum rapi me facile sinebam
juventutis æstu, ac mundi lenociniis,
& deliciis studiorum, quæ varietate re-
rum ita oppleverant pectus meum,
omnesque ejus aditus infinitis cogitatio-
nibus obseperant, ut intimos illos &
amabiles Dei congressus respueret. Qua
animi in divinis rebus imbecillitate ac
mol-

mollitie & laboravi per totum vitæ tempus ; & nunc quoque frequens illa ac penè continua mentis evagantis aberatio obtundit preces ad Deum meas , omnemque earum fructum penitus intercipit . Cùmque ad pias hujusmodi exercitationes benignè me identidem accesseret Deus ad confirmandos in animo meo pietatis sensus , alitasque ea humana rerum contagione fordes cluendas conçedebam : in loca his usibus opportuna , aut in Collegium Cadomense Societatis Jesu ; aut in Abbatiam Ardennensem Ordinis Præmonstratensis , ad primum ab urbe Cadomo lapidem ; aut in Alnetanam nostram , postquam mei juris facta est . At reflantem semper expertus sum divinæ gratiæ auram , quasi vehementiorem meum in literas impetum , segnioremque rerum divinarum curam stupore hoc Deus ulcisci vellet . Nunc autem repetamus Flexiensem nostrum secessum . Cùm cogitationes meas illuc præcipue referrem , ut consilium Dei voluntatemque explorarem super rerum mearum & totius vitæ statu , idem propemodum mihi usuyenit , quod olim

piissimo viro Annæo Francisco Bellon
vallæo Marchioni Noviano, nobilissima
Bellovallæorum Lotharingorum stirpe
oriundo. Qui cùm piis illis vacaret se-
cessionibus, atidem uti tunc ego, apud
Patres Societatis Jesu, tantum apud eum
valuere, quæ oculis ejus obverabantur,
sanctitudinis exempla, ut in summam
veniret humanarum rerum & mundi
despectionem, ejusque illecebris, & be-
neficiis fortunæ praetoptaret paupertatem
& humilitatem Christi, carissimamque
relinqueret conjugem & multipli prole
fundatam domum, ut Societati Jesu no-
men daret. Mc verò idem ut facerem
non leves impellere videbantur causæ,
quas magnopere probaturum Mambru-
num confidebam; sed longè secus eve-
nit. Ille enim re in utramque partem
attentè perspecta, ut qui hinc ingenium
atque mores, inde Ordinis sui discipli-
nam & instituta haberet explorata, rem
neutiquam placere sibi apertè denuntia-
vit; quippe hoc vitæ genus alieno arbitrio
penitus obnoxium, libertati animi
mei neutiquam convenire. Parui sa-
pientissimi viri consilio, & Cadomum
in nidum meum revolavi, nec morige-
rum

rum me præbui monitis vel potius pre-
cibus amicorum, qui crebris literis Lu-
tetiam me vocabant, illicque tanquam
in Musarum omnisque urbanitatis do-
micio sedem figere suadebant, munici-
pali tranquillitate contemta. Hoc ipsum
certè à me enixiùs exigebat voluntas mea,
quàm ullæ amicorum obtestationes. Sed
obstabat ratio rei familiaris, quæ eos
non patiebatur sumtus, quos in splendi-
da & magnifica urbe, in frequenti no-
biliū & elegantium hominum conspe-
ctu & usu postulare à me videbatur ho-
nestus ac decens, mihiique conveniens
vitæ cultus.

Dum familiariter versarer in hoc Colle-
gio Flexiensi cum Petro Mambruno, sæ-
pe veniebat ad eum Ludovicus Mæratius
ex eodem Sodalitio jam valde senex. Ac
fruebar ego sanè perquam libenter allo-
quio optimi viri, & eximio ingenii acu-
mine pollentis, longoque usu in Theo-
logia docenda feliciter exercitati; quod
& grandi & luculento Disputationum
in universam Thomæ Aquinatis Sum-
mam opere palam approbavit.

Cùm Cadomum repetiissim, tum pri-
mùm videre mihi contigit Petrum Pa-

trisium, Cadomensem & ipsum, sed aulæ multis abhinc annis addictum, quem domesticarum rerum cura revo- caverat in patriam ad dies aliquot. Ju- cundissimum mihi sanè fuit novisse ho- minem florentissimi ingenii amœnitatem nobilem, inter patriæ nostræ ornamenta recenseri solitum, & habitum in deliciis aulæ Gastonis Ducis Aurelianensis, Re- gis patrui. Ac perseveravit certè notitia hæc inter nos, & consuetudo ad ejus us- que mortem, quam grandis natu obiit.

Venit & Cadomum per eos dies, me- que officiosè adiit Marquardus Gudius Germanus, celebre nomen in literis me- ritio suo consecutus.

Prætura Cadomensi tum fungebatur Johannes Blæsius Quenæus, longè mi- nùs dignitatis & opum splendore, quām amore in literas conspicuus: cum quo initam jam antè à parentibus meis necef- studinē retinendam à me & studiosè colendam duxi. Inde igitur magna mi- hi fuit cum eo communitas studiorum, cui favebat & vicinitas, quæ in propin- quā parte amicitiae putanda est, juxta Comici dictum. Confortioni huic se ad- jungebat Nicolaus Monasterius Mottæus,

ad.

ad obtinendam eruditionis laudem egrégiis à natura præsidiis instructus. Sed præclaras dotes pessum dedit & egregias ac prælucentes in postremum spes infregit diligens gerendi magistratus cura, (Blæsio enim Quenæo successerat in Prætura Cadomensi) magnus liberorum numerus, & attentum ad rem augendam studium. Tanta autem ejus fuit ad me amandum proclivitas, tanta ad obitum usque constantia, ut sæpe optaverit, abdicato magistratu, reliquum mihi vitæ dicare tempus, & in meum convictum ac literarium contubernium, velut in sinum Musarum, se abdere. Quod & mihi sæpe, neque profectò abnuenti, significavit.

Cùm floreret Cadomum per illud tempus gloriâ boharum attium, ad easque gnaviter capessendas illustria doctorum hominum exempla, quæ habebamus oculos, vehementer me acuerent, novas etiam mihi subjecerunt faces Stephanus Monachius, Stephanus Morinus, & Johannes Ballachœus, reduces nuper ex Hollandia, unde spatis Orientis citatî, & Atticis gazis largiter instructi ad nos redierunt. Nec in transcurso solùm no-

H 60 11 10 mi-

minasse Stephanum Monachium patitur vel excellens ejus virtus, vel longo usu omnibusque officiis conflata & confirmata inter nos amicitia, ac patriæ etiam & studiorum communio. Erant in eo plurimæ literæ; nec vulgares solum, sed Romæ & Athenis quæsitæ, & ex intimo Oriente de promtæ. Majorem certè in eo desiderasse Latini sermonis integratam, & politius quiddam. Sed distinctionis pravitatem & stribligines compensabat exquisita copia rerum reconditorum. Quamvis autem impensè faveret studiis meis, neque ullam prætermittet occasionem exornandi nominis mei, longa tamen & erudita dissertatione meam haud dissimulanter oppugnavit sententiam de origine notarum, quibus vulgo utimur hodie ad numeros expiriendos, & Cifre populariter appellantur. Eam nullo Auctore, sed certissima ratione ad Græcas literas retuli in *Demonstratione mea Euangelica*¹. Quæ literæ si conferantur cum pervulgatis numerorum characteribus, eadem omnino videbuntur, quamvis diuturno & frequenti usu paululum depravatae.

Op:

3 Prop. IV. cap. 13.

pinionem hanc confirmaveram descrip-
tione Abaci Pythagorici, quam ex an-
tiquis codicibus Geometricorum Boethii
depromtam miserat ad me Grævius; &
ex Notis Senecæ ac Tironis, unde agno-
scitur vetustas characterum illorum po-
pularium, longè major ac vulgò credi-
tur. Arabibus enim tribuitur, qui eos
acceperunt à Græcis; ipsique adeò Græ-
ci veræ originis ignari Indis acceptos
retulerunt. At decus id eripi Arabibus,
quibus addictissimus erat, minimè passus
est Monachius, & in nos graviter insur-
gens, salvum tamen & integrum præ-
sttit jus priscae nostræ necessitudinis,
quam ad ejus usque exitum constanter
excoluimus.

Nec dispar fuit in hoc studiorum cur-
riculo Stephani Morini alacritas. Imò
plus etiam videtur posuisse operæ in lu-
strandis tesquis Ebræorum, & Rabbi-
norum dumetis; etsi minus fortasse in
pervagandis patentibus & floridis Græ-
corum & Romanorum viridariis. Nec
cum hoc etiam eadem mihi erat & con-
sentiens opinio de iunctis Linguæ Ebraï-
cæ; quam ille, perinde ut literatorum
hominum magna pars, ab Adamo ipso

& Mundi incuabulis repetebat. Ego contrà pertendebam ipsam esse Chananæam Linguam, in Chananæa vicinisque aliquot regionibus usurpari solitam, antequam illuc migraret Abrahamus. Super hoc argumento scriptionibus quibusdam velitati sumus inter nos, & adversaria utrimque protulimus argumenta, sed amicè & modestè, eaque arbitrio Lectorum permisimus.

At Johannes Ballachæus perlustratis tursim Orientis campis maluit in amoenis Græciæ viretis expatriari. Pollicebatur ille grandes in Dionysii *Periegesin* Commentarios, quos & venditaverat Salmasio, & ejus nomine volebat inscribere. Verùm rebus ejus ita ferentibus, in rusticum & ignobilem secessum plebis ad res sacras instituendæ causâ relegatus consenuit, nulloque edito operæ pretio spes de se factas fecellit.

Normaniam Provinciam tunc Regis nomine administrabat illustrissimus Princeps, Henricus Aurelianensis, Dux Longaville. Qui cùm præcipuas Provincias hujus obiret urbes, & Cadomum inferioris Normaniæ caput devenerisset, confluxit ad eum salutandum tota civitas,

cum

cumque ego unà cum aliis quām honorificentissimis officiis percolui. Ille me humaniter primùm ac benignè, & ad alteram deinde salutationem benevolè etiam excepit. Memini cùm aliquando in magna nobilium virorum corona', qui eum in arcis Cadomenis arca honoris caufsâ circumstabant, manu me apprehensum seduxisse perquam familiariter, mecumque in privatum colloquium per multum tempus venisse, quasi periclitandi animi mei caufsâ, & ex sermonibus meis judicandi, num satis dignus viderer ejus favore. Alia quadam die, cùm apud eum matutinæ salutationis officio interessem, accedens ad aurem meam, Ecquid tibi, inquit, agendum paras his pomeridianis horis? De eo, inquam, nihil constitutum est apud me: exspecto tantùm, si quid habes quod jubeas. Recurre, inquit, in domum tuam: illuc te conveniam statim à prandio, ut foli in interius conclave seclusi garriamus ad noctem. Quod & ita factum est. Invitabat etiam me non nunquam ad ludum Scaechorum, totosque dies in hac palæstra consumebat. Cūunque vinci se graviter ferret,

dis-

dissimulabam peritiam meam , certamque non nunquam dimittebam victoram, ne quid de favore illius mea decerpceret industria. Inde adeò me patrocinio suo complexus est tam amanter , ut in rebus meis difficillimis præsidium suum ac tutelam nusquam passus sit desiderari. Quamobrem optimi & liberalissimi patroni, quoad vita suppetet , integra apud me exstabit & constans memoria.

Dum hæc Cadomi gererentur , diem suum obiit Pontepiscopii Ægidia soror mea , religiosæ Sancti Dominici Familiæ adscripta. Sacram enim domum in hoc oppido à se conditam , certisque redditibus locupletatam & fundatam Ordini huic attribuerant sanctissimæ virgines duæ , materteræ meæ , Pilloniorum Bertovillæorum stirpe ortæ , quæ in Dominicanó Rothomagensi Sodalitio religiosam vitam professæ , adstrictius antepofuerunt vitæ genus , & ad severiores Dominici leges accuratiùs exactum , quod in novo hoc secessu feliciter sunt consecutæ piis religiosarum virginum magno illuc numero confluentium exercitationibus , omnibusque virtutum exemplis florentissimo : cui à ve-

p. 25.

meranda Christi Cruce nomen & titulos
indiderunt. Iis autem à primis vitæ an-
nis tradita in disciplinam fuerat Aegi-
dia, cùm aliis sororibus meis , atque ita
ad pietatem fuerat informata, ut idem
concupierit tenere institutum , & inter
cas admissa sit. Ut aliis autem præcel-
luit eminentissimi ingenii acumine , &
incredibili memoriae vi ; ita virtute &
corporis afflictionibus fortiter toleran-
dis tanto socias superavit intervallo , ut
prostratis viribus & perdita valetudine
beatam tandem mortem oppetiverit, vi-
gesimum quintum ætatis annum vix
prætergressa. Plura de ejus sanctimo-
nia possem commemorare , sed ea jam
ab aliis celebrata est , ut & reliquæ ejus
virtutes , atque etiam utriusque mater-
teræ meæ pietas, eodem libro , qui *An-*
nus Dominicanus est inscriptus. Nec ipse
ego merito elogio fraudandam duxi opti-
mam sororem meam hoc Opere , qua
Cadomenses origines sum persecutus.

Fato quoque concessit per eos dies Ja-
cobus Puteanus , qui cum fratre Petro
Puteano , vivis ante annos aliquot exem-
to, fuerat Regiæ Bibliothecæ præfectus.
Perlatum autem fuerat ad me , certum
huiç

huic muneri constitutum esse pretium ab ærarii regii Procuratoribus; ingens illud quidem, atque grave, pro modo facultatum mearum; sed pro desiderio etiam meo leve; adeò magnum literariis meis opibus incrementum ex prædicitis hujus gazæ administratione sperabam. Res gerebatur per amicos, jainque propè conventuram rebar; cùm intercessit Colberti auctoritas, perfecitque eā quæ apud Regem florebat gratiâ, ut ad muneris illius functionem frater ipsius, qui Episcopus deinde Altissiodorensis fuit, allegeretur.

In honesto & jucundo otio dabam interea literis operam, cùm res meas valde conturbavit grave & improvisum negotium. Nobilitatis titulos falsò sibi tum arrogabant plerique, nec facilè legitimam nobilitatem ab clementia internovisses. Cui malo in dies serpenti cùm esset occurrentum, rei gerendæ facultatem magno pretio de fisco redemerant Publicani, certis conditionibus; quarum præcipua hæc fuit, eaque valde damnoſa, ut ad eos perveniret multatitia pecunia: quæ cùm ipsa futura erat prægrandis, tum ad arbitrium rapacissimorum

rum

rum hominum augebatur. Ut ubiores etiam fructus perciperent, tam impotunè & insolenter abutebantur potestate sibi concessâ, ut familias aliquot, certa & indubitata nobilitate gaudentes, quod ejus confirmationem ab iis noluissent redimere, dejicerent de gradu, & referrent in ordinem plebejorum; obscuras alias & humiles nobilium jure donarent. Nec ego sanè vexationis hujus expers fui: cùmque ab infantia fuissim in tutorum potestate, iique nondum administrationis suæ mecum putassent rationes, nec restituissent tabulas, membranasque veteres, ad quarum fidem exigerentur, non rationes illæ solum, sed & familiæ nostræ dignitas & stemmatis ordo, ad manum mihi non erant defensionis meæ subsidia. Nec satis sciebam præterea quid peteretur à me; nec si scissim, facile mihi fuisset, propter tutorum meorum familiares nostras tabulas penes se habentium absentiam, & Publicanorum fraudulentas cavillationes, petitis satisfacere. Duorum enim dierum itinere Cادомо distabat illius domicilium, cuius in tutela primùm fueram; ipsiusque filii, ad quos defuncti venerat hæreditas,

do-

domo longè aberant, suorum quippe negotiorum causâ. His affectus difficultatibus, urgentibus Publicanis, ad libellionum tabularia, & publicos actorum forensium codices mihi fuit recurrendum, summo labore, nec exiguis sumtibus, & Rothomagum sæpius commeandum, ubi dijudicandæ erant in suprema Subsidiorum Curia hujus generis controversiæ. Re autem à Judicibus accuratè demum expensa, & perlustratis attentè tabulis veteribus à me exhibitis, certo gravique decreto assertum est generis nostri decus, & infinita Publicanorum repressa est aviditas atque audacia. At iis tamen post annos aliquot, proper ingentes quæ inde ad fiscum redibant pecunias, denuo atque etiam tertio, eadem in me aliosque concessa est licentia. Verùm à molesta hac & importuna infestatione eadem vis veritatis apud a quos Judices me vindicavit.

Prærat tunc cœtui virginum sacramrum, religiosam colentium vitam in Abbatia Cadomeni, cui à sancta Trinitate nomen est, Maria Leonora Rohannia, in qua ad natalium splendorem magnum adjunxerat natura florentis ingenii

genii lumen, singularemque & dicendi & scribendi facultatem. Ego ad illam officii causâ visibam identidem, frequensque mihi cum ea sermo erat de rebus piis, & de Librorum sacrorum dignitate; quos inter præcipue se affici prædicabat Psalmis Davidicis, & Salomonis præceptis, quæ optasset in usum domus suæ, & indoctorum gregis hujus puellarum, sermone reddi vernaculo & dilucido, uberiùsque dilatari. Quin tu, inquam, hoc ipsum quod desideras, præstas illis officium? polles enim & intelligentiâ rerum hujusmodi, in quibus versata es à pueritia, & copiâ dicendi, atque styli ubertate. At tenuem certe esse meam, inquit, facultatem, & scio, & sentio; rem tamen suscipiam, si consilium tuum & censuram ad lucubrationem hanc accommodare velis. Quod cùm facturum me receperim, adjicit illa ad opus animum, atque hinc producit pium illud & perelegans Opus, quo moralis doctrinæ Salomonis præcepta continentur.

Erat in ejus convictu & disciplina Jacoba Boëtia Blemuria, propinquitate mihi conjuncta, pietate insignis, & moribus

ribus ad modestiam ita compositis , ut
cùm multa scripsisset ad instituti sui ra-
tiones & Benedictini Ordinis historiam
pertinentia , ea tamen premeret alto si-
lentio & virginico pudore , quasi eam
suppuderet audacie suæ , remque attra-
casset supra captum . Verùm rc mihi per
socias ejus comperta , ut est loquax ille
sexus , hoc mecum , qualemque esset ,
communicari volui , multa de ejus taci-
turnitate conquestus , quod me & con-
sanguineum & amicum rem celasset ,
quam ad me præ cæteris omnibus re-
ferre debuerat . Illa verò gravissimam
sibi hanc exprobrationem esse dixit ,
quæ spem faceret non molestè me latu-
rum , si quidquid illud erat quod scri-
psisset , & quidquid etiam deinceps scri-
ptura esset , paterer arbitrio meo permit-
ti . Quod cùm libenter & jucundè fa-
cturum me promissèm , misit ad me
grande & egregium Opus , quo vitæ
sanctorum Benedictini Ordinis virorum
fuerat complexa , quodque præfixo *Anni*
Benedictini titulo exiit deinde in lucem ,
magnoque applausu exceptum est , uti
futurum ex Libri lectione eram augu-
ratus , ejusque usibus publicis permit-
tendi

tendi quamprimum, magnoperè auctor fueram. Editionem procuravit Jacobæ frater Eustachius Boëtta Blemurius, Canonicus Regularis, è Victorina Parisiensi Familia, homo non illiteratus, celebri Domui huic & numerosæ Bibliothecæ procurandæ præfектus, quæ & curâ illius & diligentia non parum est locupletata.

Interim excurrebam sæpe Rothomagum, quæ urbs ut Normanæ caput est, ita ferè eò devolvuntur graviora, quæ per Provinciam oriuntur, negotia. Cumque illuc me pertraxissent molestæ quædam lites, venit ad Aquas Forgenses, quæ unius diei itinere versùs ortum Rothomago dissitæ sunt, regio genere prognata virgo, Anna Maria Ludovica Aurelianensis, Gastonis Regis patrui filia, quam hoc elogio exornavit olim Carolus Pererius noster, sublimis spiritus Poëta:

*Hæc est illa atavis edita Regibus,
Formæ mille opibus dives & ingent,
Nec nos & patrios band muliebriter
Audax stringere acinas.*

Cum

Cum reliqua hæc verissima, tunc illud præcipue, quo ipsius ingenii opes prædicantur. Erat in nobilium ejus affectuarum numero Segræsius, jam à me saepe memoratus, popularis meus, & summus hoc tempore amicus. Cūque me ille ad Dominam suam & ad se crebris invitaret literis, eò me contuli. Nec defui sanè cultui exhibendo Serenissimæ Principi, quem debui. Delectabatur illa lectione historiarum, earumque imprimis fabellarum, quæ Romanenses appellantur; dumque puellarum suarum manibus comeretur, vices apud se obire me volebat anagnostæ, multaque solebat rogitare variis de rebus, quas ipsa offerebat lectio. Vnde perspecta mihi est, & singularis ejus solertia, & non vulgaris nec puellaris eruditio; ac multò magis etiam ex lucubratis ab ea duabus Romanensibus fabellis, excogitatis opidò acutè, & perquam argutè explicatis, omnisque leporis & elegantiæ plenis, quarum alteri titulum fecit *Invisibilis Insulæ Descriptio*, quâ falsissimè ludificata est Equitem quemdama honorarium Parlamenti Dombensis; alteri *Reginae Paphlagonum Historia*, quæ perpetua

tua est nobilissimæ cujusdam virginis, sed illepidæ & invenustæ, arguta & occulta irrisio. Jusserat eas typis exarari Virgo regia, sed pauculis inde expressis exemplaribus; quæ omnia sibi vindicaverat, sedulò cavens ne emanarent in vulgus. At unum tamen, pro sua benignitate, donaverat mihi dono; cuius etiam ad oram propria personarum nomina jusserat adscribi, quæ diffimulata exstabant in contextu. Libellos itaque auro contrà caros non habebam, cum eorum sibi ad paucos dies usuram permitti postularunt primariæ duæ feminæ, cognitæ mihi jamdiu familiariter, fideique in servandis promissis, uti quidem rebar, certæ & indubitatæ; re tamen ipsa, uti expertus sum, fallacissimæ: menses enim à me abstulerunt libellos, sibique servarunt.

Et in aula, & in urbe, invaluit paucis post annis ille mos, ut elegantioris ingenii viri ac feminæ, & oris sui formam, & corporis habitum, & mores ac studia describerent, & velut in tabella depingherent; proptereaque hujusmodi descriptiones vulgo imagines dicerentur. In iis plurimum se exercuit nobilissima

Virgo; cùmque multas & descripsisset ipsa, & descriptas ab aliis selegisset, operam dare me voluit, ut eae typis clam mandarentur. Enituit & in aliis scribendi argumentis felix illius indeles, & jocosis & seriis, nec non & ad pietatem pertinentibus; sed paucis admodum adhibitis testibus aut arbitris: ea erat puellæ regiaz modestia.

N Evidem ab ineunte adolescentia id studueram in primis, ut si quem ex fama audiveram ingenio præcellere vel doctrinâ, in ejus notitiam venirem: nec ulli certè peperceram industriae aut labori, ut aliquam contraherem necessitudinem cum Falcone Carlovallio, quam sponte fors obtulit. In publicis enim choreis inter æquales juveniliter & strenuè saltantem me cùm vidisset aliquando, nomenque meum siotellexisset ab adstantibus, quæfivit filius ne essem illius Huetii, quem aliqua eruditiois laude commendatum acceperat; ut hunc ipsum esse me cognovit de quo quærebat, nullam interposuit moram, quin colloquium meum &c. ut aperte præseferebat, amicitiam quoque appeteret. Mihī vero id deferre fortunam, quod con-

concupiveram omnibus votis, impensè. lætatus sum; nec mihi reliqui faciendum quicquam putavi, ut cum meâ mihi observantia devincentem virum, quem urbanitate, & amoenitate ingenii, & morum suavitate omnem sibi aulam devinxisse sciebam. Circa idem tempus aliud quidpiam simile mihi contigit. Vir quidam nobilis, jam senex, & disciplinis non leviter exultus, in inferiorem Armoricanam properans, Cadomo iter faciebat. Venit ille in domum meam, visendi mei caussâ. Quàm humaniter potui excepti venientem, exspectans quid me vellet. Huetium, inquit, patrem tuum conveniendum volueram; si id per te impetravero, habebo gratiam. Patrem, inquam, amisi etiamnum infans, nec ullum hic præter me reperies Huetium. At vix, inquit, crediderim in hominem adeò juvenem, convehire posse, quæ de te mihi narrata sunt. Sed geminas illuserat error credulitatib[us] boni viri; nam & longè indoctior eram quām putaverat; & aetate proiectior quām videbar.

Magnum accessit non paùlo post Bibliothecæ meæ incrementum. Cognatus

tus enim meus, cuius in tutela fueram, filius Ægidii Macæi, eximii Mathematici, à me suprà laudati, Libros suos omnes pertinentes ad has artes, quibus usus fuerat pater ipsius, neque paucos, sicque spernendos, liberaliter ad me dono misit. Quos dum per volutarem, sotipos jándiu pristini filius mei in nobiles hæc disciplinas studii, suscitari in animo meo, ac ferè erumpere igniculos sentiebam; quos nec penitus tamen compressi, sed sovi leviter, cum identidem per breves excursus locupletem hanc exquisitorum voluminum congeriem revererem.

Patriæ suæ motibus exagitati Angli plerique & Hiberni saepe tum adventabant in Normaniam, quæ est in opposto littore, & Cadomi sedem figebant. Fuit in his, me adolescentem, Stanihurstius, Dialecticus subtilis, qui Philosophiam in Academiæ Cadomensis exhedris, magnâ auditorum frequentia, diu professus est. Velitarab illic saepe cum ejus discipulis acriter summaque animi contentione, quod Doctori huic vnde placebat, neque ad hujusmodi concertationes vehementer hortabatur. Tractabas

bat is quoque peritè chymicas artes; quas demum tamen damnosas sensit, adustis & contractis faucibus ex præcipiti & inconsiderato noxiæ cujuſdam portionis häustu. Medicinam quoque non infeliciter tum exercebat in eadem Academia Stanihurstius alter, prioris hujus agnatus. Longo pòst tempore Cadomum appulit eadem gente ortus Franciscus Aladensis Episcopus, vir suavitate morum amabilis, & vitæ sanctitate venerandus; pauperculus ad hæc, & egenti similis. Quibus ego permotus, auctör fui clarissimæ virginis Mariæ Leonoræ Rohanniae, Antistitiae, quam suprà laudavi pro merito suo, ut pium Episcopum reciperet in domum suam, & quæ ad vitam tolerandam necessaria essent benignè subministraret. Paruit illa consilio meo, rogavitque me ut hominem ipse ad se suis verbis invitarem. At ille velut egestate sua delectatus, cuius magister Christus ac præmonstrator fuit, inaluit in gurgustii sui latebris se continere. Nec multò pòst Rhedonas concessit ad conterraneos suos, qui magnō numero in Armorican confluxerant. Vereor equidem ne videar aliquibus in-

198 PETRI DAN. HUETII
cpte credulus, si quippiam h̄c refuleret,
quod accepi à religiosis & cordatis vi-
ris, nee superstitionis, ejus plane simile,
quod legitur in *Actis Apostolorum*, pue-
rum è recto sublimi delapsum, & ex
casu obtritum, acceptum fuisse in ulnas
à sancto Antistite, ab eoque fusi ad
Deum precibus fuisse restitutum. De-
latus deinde est in littus Normanicum.
Patricius Episcopus Ardensis, nobilissi-
ma apud Hibernos Plunquetorum gente
prognatus; quem apud nos Sagiensis E-
piscopi vices magna pietatis laude vidi-
mus obeuatem.

LIBER QVARTVS.

Commemoranda mihi nunc est in-
signis ad amicorum meorum nume-
rum hoc tempore facta accessio : quos
inter prius fors obtulit Johannem
Marefium Sanforlinum , præcelso pre-
ditum ingenio , & mirabili ad poëticam
facultatem indole. Memini equidem quo
die inter Academias Francicæ sodales in-
auguratus sum , post orationem à me
publicè pro more habitam , cùm varia
Opuscula recitarentur à sociis , carmen
ab eo fuisse lectum , tam elatum senten-
tiis , tam numeris felix , ut plausus ex-
citaverit mirabiles. At notatum tamen
est valde despectam ab eo fuisse his ver-
sibus & depressam in poëticis Veterum
industriam , cùm non obscurè innueret ,
præ Homero & Virgilio , præ Pindaro
item & Horatio , palmam suo sibi jure
deberi. Quod & alia scriptione confir-
mare conatus est , uti factum deinde à
Carolo Peralto familiari nostro. At ali-
ter sensisset forsitan uterque , si majo-
rem Antiquitatis notitiam , majorem &

I 4 fui

fui comparare studuisset. Scripserat & elegantem fabellam Marcius, de genere Romanensium, *Ariadnes* nomine inscriptam, quæ post Honorati Vrfæi *Astræam* inter primas habita est. Mirificè vero placitum est, magnisque plausus culit à Cardinale Richelio, suave & ingeniosum ejusdem Auctoris Poëma, quo Circini & Regulæ amores & conjugium referuntur.

Tum primùm quoque mihi cognitus est Paulus Pellissérius Fontanerius, in quo natura, ut olim in Angelo Politiano, deformitatem oris excellentis ingenii præstantia compensavit. Cognitus est & mihi Valentinus Conrartus, raro & propè singulari exemplo nomen inter Literatos adeptus, veteris omnis licet expers literaturæ, sed recentiore liberaliter perpolitus, moribusque ad humanitatem ita compositis, ut vix officiosiorem quemquam reperisses, quod & sæpe sensisse me grato animo profiteor.

At præclara erat hoc tempore existimatio in literis Valesii utriusque, Henrici & Hadriani : quibus, & Henrico præcipue, familiariter usus sum.

Tum vero magna me affecit voluptate

te Christiani Hugenii Systema Saturnicū; ab eo, ad hanc diem non satis pro meritis mihi cognito, per officiosè ad me transmissum. In quo sanè singulare hominis acumen miratus sum, & exquisitam industriam, denique me sensi ad Astrologia studia vehementer revocari. Hac autem occasione suscepimus inter nos amicitiam, sequentibus annis, cum ille Lutetiam auctoritate regia accitus esset, constanter excolimus.

Minime vero in recensendis amicis literatis præterire me decet. Hearicum Justellum Christophori filium, non tam Literatum illum quidem, quam Literatorum fautorem, & hospitem Musarum. Conveniebant enim in ejus domum diebus singulis docti viti, sermonesque inter se eruditos conferebant: cùmque levæ ob causas jucundum hoc deseruisset vitæ genus, ac Lutetiae delicias, Londonumque secessisset, tum demum serâ poenitentiâ errorem agnoverit suum, cùm anani patre desiderio teneretur.

Si collecta fuisset hac ætate Pleias Poëtarum, utri factum accepimus, regnum in Ægypto tenente Ptolemæo

Philadelpho, atque item ante hos cem-
tum & quinquaginta annos in Gallia,
tum certe locum in iis facile tenuisset
Petrus Petitus Medicus, Carolus Per-
erius, & Johannes Baptista Santolius, è
sacra Familia Victorina Parisiensi. Et hi
quidem postremi duo, roti Poëtæ fute-
runt, nec aliud quidquam quam Poë-
tæ, indocti cæteroquin & rudes in omni
genere humaniorum literarum. Tumi-
dior Santolius, Pererius modestior, &
in quo appareret color quidam Antiqui-
tatis, quem splendidius etiam illitum Pe-
titi poëmatis apprehendit: in quo præ-
terea multæ erant & interiores literæ;
nec in tritioribus solùm artibus humani-
tatis, sed & in Physicis etiam, atque iis
præcipue quæ ad Medicinæ disciplinam
illustrandam vel locupletandam conser-
re possent; in quibus egregia existare vo-
luit ingenii sui & industriæ specimina,
nitido & eleganti orationis filo contexta.
At Santoliu[m] & Pereriu[m] si quando
sors ad me detulerat, deferebat autem
sapissime, omnia apud me carminis in
sonitu perstrepebat; cum præsertim il-
le stans pede in uno dictaret in hora
versuum milia, fluentque valde luto-
jen-

lentus, simillimum eum dixisses Camilli illius Querni, qui Leoni Decimo Pontifici Maximo habitus est in deliciis, & ab eo meritus Archipoëtæ titulos & insignia, dignusque visus, qui salutaretur eleganti hac allocutione:

*Salve brassicea virens corona,
Lauroque Archipoëta, pampinoque,
Dignus Principis auribus Leonis.*

Cùm autem longo pòst tempore accipisset Santolius, Bibliothecam meam domus ruinâ oppressam concidisse, & inter rudera ac parietinas misere prostratam jacere, rem idoneam credidit quam vetibus suis decantaret. Parilli Pererius, ejusdemque Apollinei decoris appetens, & ad Veterum imitationem felicius assurgens; qui cùm nobili stirpe oriundum se meminisset, Poëtis omnibus propter nobilitatem suam, Nobilibas omnibus propter facultatem suam Poëticam præstare sc̄ putabat. Valde itaque præ se despiciebat Santolum. Mea quædam exstant ad eum, nonnulla & ejus ad me carmina.

Iisdem ferè temporibus deduxit me

I 6 ad

ad Mariam Magdalenum Lavernam Fayettam Menagius, qui & ejus formam, & lepores, & ingenium, & loquendi ac scribendi elegantiam totis poëmatis decantavit: & meritò sanè; quid enim comptius, quid limatus, quid argutius, quam quæ scribentem videbamus quasi per ludum, & quæ recitantem audiebamus? Et tamen meritæ laudis adeò negligens fuit, ut *Zabydam* suam, amoenissimam fabellam, sub Segræsii nomine apparere voluerit. Quod cùm in *Originibus Cadomensis* scriptum à me fuisset, injuriam nomini Segræsiano factam temerè cœnquesti sunt malè feriati homines, & veritatis inscii, quam egotestis locuples & conscius ex certissima oculorum meorum fide, & complurium Lavernæ ipsius epistolarum testimonio comprobare possum; cùm singulas scriptioñis hujus partes, simul atque ex ejus calamo exierant, ad me mitteret, & à me recognosci vellet.

Aliqua etiam tum fuit duarum virginum celebritas, Annæ Viñæ, & Mariæ Prateæ: sed nihil ad Lavernam. Existat epigramma quoddam meum ad Prateam, quo puellam austoram & subtri-

tristem à severitate ad hilaritatem traducebam. Neque verò ab instituti hujus Operis lege alienum fuerit carmen ipsum
huc referre.

Odimus horridulas adducta fronte pueras:

Quæ miscere jocos noverit, illa placet.

*Nos vates gens leta sumus; sic jussit
Apollo,*

Jussit & argutos spargere Musa sales.

*O nimium tetricæ studiis operata Mi-
nerva,*

Pratea, contractum pone supercilium.

*Risit Pythagoræ conjux antiqua renati,
Hesperiis quamquam non minor illa
Sophis.*

*Risit & Erinna, risit formosa Co-
rinna,*

*Pindaricam toties vincere docta cib-
lyn.*

Non te deliciis superet jucunda vetustas;

*Nominibus priscis te quoque finge pa-
rem.*

*Corrisse mihi dicetur Pratea virgo,
Exemplum reliquis Pratea virginibus.*

At nihil tale in se desiderari patiebatur Vinæa , quæ infirmo corpore ac continuis penè doloribus , perpetuam vegeti animi festivitatem retinebat. Itaque & in iis quæ scripsisset singularis elucebat lepos , & in iis quæ cecinisset carminibus magna spiritus sublimitas apparebat.

Tunc Lutetiæ hospitio utebar Sammagloriano Oratorianæ Congregationis, in quod me invitaverat Ludovicus Thomassinus, per quem multum accessit decoris Sodalitio huic, luculento & perutili Opere, quo disciplinæ Ecclesiasticæ ritus , ex bonorum Auctorum & pri scorum monumentorum fide descripsit. Atque optimè sanè consuluisset famæ suæ, si intra harum literarum , in quibus regnabat , fines continuisset ingenium suum , nec ad humaniorum præcerea disciplinarum laudem ita adspirasset, ut earum etiam præcepta effundere in vulgus , quas vix primoribus habris deguttasset. *Glossarium* verò illud *Ebraicum universale* , uti præ se fert titulus, post ejus mortem editum , quod nobis velut orientalis omnis literaturæ ditissimum

I AN. 1659.

num penu obtrusum est, si eruditii admoveantur oculi, ad primum intuitum foetus apparebit, non novato & iterato exortus agro, sed semel tantum & leviter arato. Frustra autem commendationem quæsivit Thomassinus scriptoribus suis ab elegantia dictionis, cum res omnem respuentes ornatum, & simplici cultu ac levi scriptura tradendas, pingui & operosa oratione convestitet. Erant in eodem contubernio viri alii eruditii duo, Hieronymus Vignierius, & Carolus Cointæus, quorum ille superstites Augustini reliquias, ex antiquis codicibus collectas, emisit in lucem; hic Ecclesiasticam Franciæ historiam accuratè digessit.

Dum esset in Sammagloriano hoc convictu, ridiculum quiddam evenit mihi, quod vel animi causa hic referre, non abs refutrum puto. Venit ad me Batavus quidam juvenis, qui & nomen aliquod sibi deinde fecit in literis, & epistolam attulit ad me, quæ in indice additum nomini meo praferbatur, ut sit, locum domicilij, apud Patres Ora-torii. Ille autem Francici sermonis fatus erat rudis, cum me salutaret, ex lectio-

ne

ne inscriptionis perperam intellectæ; Salvæ, inquit, Pater Oratorum. Cùmque mirari me respondissim, quamobrem ab eo decorarer tam honorifico titulo; Hæc tua scilicet, inquit, modestia est, cur debitas tibi & ab aliis contributas laudes adsperneris; simulque additam epistolæ inscriptionem ob oculos posuit.

Româ interea Lutetiam reversus est Georgius Renaldus Magdalénæus, Jo-hannis Renaldi Segræsii frater, qui eò fuerat à sacra Virginum Carmelitidum Familia ad res grandes procurandas delegatus. Adiit ille me continuò, sequere habere dixit in mandatis à Christina Regina, ut me Romam ipsius nomine accerferet, montes illam polliceri aureos, & Attalicas conditiones, commodum apud se contubernium, studiorum communionem, inchoatam olim quidem Holmiæ, tunc autem post annorum aliquot intermissionem tranquilius & jucundiùs repetendam; suaque præterea officia & quidquid auctoritate valeret in aula Romana. Vehementer ea quidem prima specie pertentabant animalium meum, Romæ omnisque Italie per-

I An. 1659,

perlustrandæ valde cupidum, magnoque ferebar impetu ad accipiendam conditio-
nem. Verùm quasi compedibus vin-
ctum retinebat assidua Origenis mei eu-
ra, jam exire è carceribus gestientis.
Multoque etiam magis deterrebat me
Holmiensium promissorum recordatio,
& cognita jam mihi & experta Reginæ
mutabilitas. Scripta itaque ad eam epi-
stola, caussas hinc inde quæsitas præ-
texui, cur favore ipsius, tamque pro-
lixa adversùm me voluntate uti non
possem.

Per eos dies redux ad lares meos fa-
miliares post diuturnam absentiam gra-
vissimo casu afflictus sum ac penè op-
pressus, morte Jacobi Grandorgæi Pre-
montii, à primis vitæ meæ annis sum-
ma mecum necessitudine omnibusque
officiis conjunctissimi, præter eum habi-
turus neminem, cuius consilio & sa-
pientia domesticæ meæ res & studia re-
gerentur, & in quo possem imaginem
priscæ urbanitatis, & vernaculæ illius
festivitatis, quæ Cadomensium propria
est, agnoscere. Eum igitur persæpe vi-
sere solebam & perstudiosè audire, to-
tus-

¶ An. 1652.

tusque ex ejus nutu & ore pendebam.
 Ac mihi hoc tempore Lutetiâ Cadomum
 adventanti tristis de gravissimo ejus mor-
 bo nuntius allatus est; quo ego vehe-
 menter commotus ad eum statim advo-
 lavi, penè exanimatus metu: & meritò
 sanè, eum enim reperi in **extremis**
agentem, ex collectis intra cordis inte-
 gumenta noxiis & mortiferis aquis.
 Tum verò recordatus sum, toto ipsum
 vitæ tempore, naturali quodam horrore
 aquarum reformidasse vim, & aversa-
 tum esse, cùm inter deambulandum ri-
 vulorum refugeret occursum, vixque
 pontibus auderet insistere; quasi jam
 tum ex cognatis aquis imminens sibi exi-
 tium præsentiret. Sed dolorem hunc re-
 fricare nihil attinet, cùm & virtutes
 ejus prædicaverim alio Opere, & interi-
 tum deploraverim.

Piè sancteque aëram à pueritia vitam
 Cadomi clausit hoc tempore Johannes
 Bernerius, repentina morte sublatus.
 Abdicata ille Quæstoris Francici digni-
 tate, media in urbe hospitium sibi para-
 verat solitarium, & ab hominum fre-
 quentia semotum; receptisque in contu-
 bernium perpaucis ejusdem instituti so-
 ciis,

ciis, Deo vacabat uni, & pauperum
egestati sublevandæ, & variis modis
procurandæ hominum saluti. Infinitum
dictu est, quantum fines regni Dei am-
plificavit exemplo bonorum operum, &
eontstanti sanctioris vitæ tenore. Quæ
cùm ob oculos meos versarentur, habi-
tabam enim in vicinia, mirificè ad ejus
imitationem accendebar, paruissimq[ue]
benignè me ad se invitanti ac allicantii
Deo, nisi me etiam tum juventutis &
etatis & mundi pellacia aliquorum retraxisse-
sent. Pungebat enim etiam tum animum
gloriolæ γαργαλιούσ.

Soror hic habuit Jordanam Berneriam,
optimo ingenio magnoque animo prædi-
tam virginem; quæ modicis quidem fa-
cultatibus, at singulari pollens industria,
magnificum religiosæ Ursulinarum puél-
larum Societati Monasterium condidit;
quarum & albo inscribi & Societati in-
seri voluit. Fuit id urbi Cadomo exi-
mio ornamento & usui, cùm floreret
magno affluentum illuc adolescentula-
rum numero, quæ ad pietatem & puel-
laria opicia erudirentur in scholis illic
institutis, quarum unaquamque à sua
præceptrice & magistra regeretur.

Cap.

Cadomum advenerat multis abhinc annis, me penè puero, Euangelii præcco, Hyacinthus Calventius¹, Tolosas, è Dominicanœ Ordine, Matthæo illo Calventio prognatus, quem amplio Sammarthanus exornavit elogio. Cùmque ad eum è suggesto concionantem magni fierent Cadomensium concursus, ille vulgi plausibus delinitus Cadomi sedem posuit, & in Academiæ Theologica, ut vocant, Facultate titulos ambiit & Doctoris & Professoris Regii, eosque disputationibus publicè habitis consecutus est. Jamdiu autem ille sese contulerat ad meam amicitiam: cùmque totam Theologiam, conionalis homo, in cōciones diducere, & ad vulgi captum accommodare instituisset, cura mea & commendatione effectum est, ut partem aliquam vasti hujus Operis edendam Cadomenscs Librarii fusciperent, cùm priores partes aliis jam locis editæ prodiissent.

Maxima erat hoc tempore Rambullietianæ domus celebritas, quam magnopere exornaverat Catharina Vivonæa, Marchione Rambullieto pridem viduata, primaria femina, ut natalibus, ita animis & moribus verè Romana, Malherbi Chalvet.

bæ

bæ nostratis decorata præconiis, sub Artenices nomine; atque item ejus filiæ duæ, Julia, & Angelica, Angennææ; quarum illa Montauferio, hæc Griniano nupserat. Ut summa in illis inerat mitorum elegantia, felicibus conjuncta ingeniis, ita quicunque ab his laudibus quærebant commendationem, in hoc urbanitatis domicilium, ac velut sacrum, optabant admitti. Confluebat ergo illuc, quidquid vel aula habuit, vel urbs, humanitate expolitum. Etsi verò non sine aliqua temeritatis nota, me hominem provincialem, municipalibus oblitum moribus, in hoc theatrum sciebam esse proditorum, cùm Lutetiam tamen venissim his diebus, illuc intrudi me pañius sum ab amicis. Nec me meæ certè pœnituit audaciæ; exceptus sum enim perbenignè, à Vivonnæa præser-tim heroïna, quæ me &c ad crebra colloquia, quamdiu commorarer Lutetiæ, & ad literarum commercium, si quando abessem, comiter invitavit. Nec res de-suit dictis, nonnunquam enim humanissimis me litteris, velut silentium meum iacrepitans provocavit. At non ex hac occasione aditum mihi ad amicitiam suam

214 PETRI DAN. HUETII
suam aperuit ipsius gener, Julianus An-
gennææ maritus, Carolus Sammauræus
Montauferius, verum ex editione Libri
mei *De Interpretatione*, qui à me lucu-
bratus est hoc tempore. Cùm enim ex
amicorum, ac Menagii præcipue & Ca-
pellani, prædicatione cognovissim, non
minus literariis laudibus florere Mon-
tauerium, quam bellicis, ad eum misi
Libellum hunc, observantiae meæ testem,
quem ille summo favore exceptum, pro-
pitia quoque existimatione prosecutus
est. Inde adeò exortavit me patrocinio
suo, literasque ad me prolixæ hujus vo-
luntatis testes dedit.

Omni leporis, joci, elegantiæ, &
politioris etiam doctrinæ laude tum eni-
tebat Gulielmus Bautruvius; aulamque
omnem, & quicunque per urbem cul-
tuore pollebant ingenio, amoënitatis suæ
jucunditate perfundebat. Quibus deli-
ciis ne carerem, deductus sum ad eum
ab amicis, populari & veteri amicitia
ei conjunctis. Famam quidem ille præ-
sentia, suâ mihi visus, est superare; ita
enim promicabat ignea mentis fulgor,
ut animos præstingueret.

Præbuit & mihi hac tempestate Jo-
han-

hannes Baptista Hamelius non obscuram propensi in me animi significationem: quo homine neque meliorem, neque candidiorem, nec, postquam in amicorum meorum numero haberi se passus est, fideliores novi quemquam. Quænam verò ejus esset de me opinio, pafsum in scriptionibus declaravit suis, quas multas & Reipublicæ literariæ valde utiles elaboravit.

Attulit ad me literas his diebus Johannes Renaldus Segraesius à Petro Fermatio Senatore Tolosano. Nam cùm Tolosâ iter faceret, hominemque literarum gloriâ nobilem convenisset, postquam ille intellexit eum esse in reditu, ut Cadomum se reciperet, meque huic esse yeteri amicitiae addictum, rogavit ut ineundæ quoque mecum amicitiae sibi sequester esse vellet, literasque suas perferret ad me, quibus postulabat verbis humanitatis plenissimis ut in eo facilem me præberem. Adjecitque Opuscula quædam sua, certissima singularis quâ pollebat eruditionis monumenta. In his erant, non Latini solum, & Gallici versiculi, arguti oppidò & floridi, sed commentationes quoque ex reconditis

Geo-

Geometriæ penetralibus de promtæ , in
qua quid possit suis cum Cartesio &
Robervallio disputationibus abundè pa-
tefecit. Paternæ autem hujus adversum
me benevolentæ , & virtutum imprimis
hæreditatem adiit clarissimus filius , al-
terum Tolosani Senatus ornamentum.

Inter Academiæ Francicæ socios lo-
eum tunc obtinebat Franciscus Tala-
mantius , & in interpretandis Gallicè
Plutarchi Vitis multum studii ponebat
& operæ . Cūmque audisset posse me
aliquid in literis Græcis , emendatorem
Operis sui esse me voluit. Nullo igi-
tur interposito parario familiariter venit
ad me , Opus suum manibus præferens,
atque id arbitrio meo permettere se dixit.
Nec ei sancè defuit mea opera : produxi-
mus in multam noctem , & hoc tempo-
re , & alias sæpe , propositæ interpre-
tationis lectionem ; adhibitis ex Græci
exemplaris contentione censoris ani-
madversionibus . Nec tamen satis aulæ
probata est hæc interpretatio , quam ille
languente & diffluente oratione vestie-
bat. In hujusmodi enim scriptionibus
historicis parùm attenditur quam fidel-
iter expressum sit exemplar , cùm non

Satisfit aurium desiderio. Et ille quidem Plutarchi , at mei ipsius deinde Interpres fuit prioris agnatus Paulus Talamantius : Poëma enim quoddam meum Latinè scriptum carmine reddidit adeò venusto , ut cùm id legerem versus mei mihi penè sordenter ; meque in meo carmine adspersnatus in ipsius interpretatione amplecterer.

Novum scribendi genus invexerat Paulus Scarro perfacetum , summæque amœnitatis ; atque ita mentes omnium jocis suis permulserat, ut elegantiorum virorum ac mulierum cœtus Scarronis nomine personarent. Quodque mirum videri posset , inusitatus ille lepos , & expperrecti ingenii festivitas , corpori inhererat morbis acutissimis distorto , contracto , & nervoruta resolutione penè debilitato. Cùmque studuisse ad hanc diem eos pernoscere , quicunque ingenii vel doctrinæ famâ celebrarentur , minimè committendum duxi , ut hominem hujus tam singularis notæ , incognitum mihi & insalutatum esse paterer. Ergo ad eum introductus sum ab amicis , plurimumque ejus facetiis & salibus delestatus sum.

K

P.

Patefactus quoque mihi est hoc tempore aditus ad Magdalenam Scuderiām, cuius eximias virtutes, & illustris ingenii felicitatem, singulari verecundia conjunctam, alio jam commemoravi Opere, quod scripsi *De origine Fabularum Romanensium*. Nunc illud sat erit addidisse, tres novisse me ætatis hujus doctissimas & ingenii famâ celebratissimas virgines, Christinam Reginam, jamque mihi dictam Schurmanniam Vl- trajectinam, & illam de qua nunc agimus Scuderiām : quarum unicuique si propria sua laus & peculiaris tribuenda sit, acris & ignei ingenii celeritate, repentinisque motibus præstissem dixerim Christinam ; eruditione Schurmanniam, variarumque artium peritiā ; at inexhausta ingenii vi atque capacitate Scuderiām : quarum laudum gloriam in fratrem Georgium Scuderium transmoveri facile patiebatur modestissima puerilla : quamvis ille quoque neque iners erat, neque hebes, industriamque suam utroque genere scribendi, & soluto & adstricto, palam approbaverat.

Crebræ mihi cum erant itiones & seditiones Cadomo Lutetiam, Lutetiā
Ca-

Cadomum patriam meam, in qua mihi
domicilium erat, & sedes tranquillissi-
ma studiorum. Mittebatur illuc ad me
diligenter, quidquid novi p̄p̄erant
in literis, vel Gallia, vel Anglia, vel
Hollandia; eaque præcipue quæ perti-
nerent ad Physicarum & Mathematica-
rum rerum notitiam. Fervebant enim
eum maximè hæc studia; paucisque ab-
hinc annis, & Lutetiae, & Londini,
exortæ erant ad harum disciplinarum
propagationem illustres Academæ; nec
quicquam eorum, quæ parturiret Regia
Societas Londinensis, nescire me pati-
batur Henricus Oldenburgius, cuius
cura erat res ab illustri hoc coetu inven-
tas in literas referre. At quæ Cadomi
antea instituta fuerat Academia Bri-
tiana, intra humaniorum disciplinarum
septas se continebat; & si quid alterius
generis ad me misum, vel scriptum,
ad eam deferebam, audiebatur oscitan-
ter, & parum aquis animis admitteba-
tur. Non gr̄e minvero ferebam despica-
bilis haberi cordatis ceteroqui viris tam
mobiles disciplinas: n̄ gr̄e id quoque me-
cum ferebat Andreas Grandorgæus, in
Phyfica palestra diu multumque exer-

icitatus; nec propterea tamen ego & ille
de nostro in Philosophiam studio quid-
quam duximus esse remittendum. Imò
verò, inquit Grandorgæus, certum ali-
quem, si me audis, per singulas qua-
-que hebdomades constituemus diem,
quo apud te de rebus physicis inter nos,
& si quos alios visum fuerit nobis ad-
jungere, dissenseremus. Optimè id quidem,
inquam, planèque tibi assentior; in par-
tem modò laboris adsciscas, si quos in
philosophicarum rerum tractatione noris
esse subactos. Rem ille in se recepit,
nec ulla interposita est temporis dilatio,
quia res perduceretur ad effectum.
Nova igitur apud me instituta est Aca-
demia, quæ à parvis exorta iniciis, con-
tinuisque in dies aucta incrementis, pa-
rem se splendidioribus tulit. Ac pri-
mùm cùm Londino ad me missæ essent
accuratissimæ quædam commentationes,
à Sodalibus Regiæ Societatis profectæ,
quibus corporis humani fabrica per ite-
ratas confectiones manifestò comprehensa
explicabatur, nobis quoque in hac Physi-
cae parte decrevimus esse laborandum.
Vtique publicum auxbis valetudinariū
craf

E An. 1662.

erat in vicinia ædium nostrarum; ægris-
que curandis operas suas præstare sole-
bat is ipse Chirurgus, quo in obeundis
Academicis ministeriis utebamur, dede-
ram illi in mandatis; ut si quis ægrot-
tantum inçognito aliquo morbo dece-
deret, accerteret me antequam humare-
tur, ut corpore ejus aperto morbi &
mortis caussam exploraremus. Nec in
hominum tactum, sed ita aliorum quo-
que animalium, & quadrupedum, &
avium, & piscium, & serpentium, &
insectorum, tum vivorum, tum mor-
tuorum, partibus perscrutandis nostra
versabatur industria. Incredibile dictu
est, quām multas res, novas, singula-
res, cognitione dignas observaverimus;
quæ in commentarios referebantur à me
diligenter. Etsi autem nobis non dee-
rant artifices periti, quorum operâ in
exercitationibus nostris utebamur, non-
nūnquam tamen manus ipsi quoque no-
stras operi accommodabamus, cùm res
certioribus experimentis exploranda vi-
deretur. Ego certè ipse, cùm parùm
oculis valeam, simque à primo ortu,
ex eorum numero, quos Myopes Ari-
stoteles appellat, ab arte tentavi petere

subsidiū. Ante omnia, autem, oculis compagē, oculis meis testibus, studiū perspicere. Liquidō affirmare possum, plusquam trecentos oculos, ex capiti- bus omnis generis animalium extractos, me manu mea disseciisse. Et ut certius intelligerem quid ad visionis perspicaci- tatem potissimum conferret, eorum animalium oculos, quorum visus cre- deretur esse acutissimus, quales haben- tur oculi accipitrum, cum eorum oculis accuratè comparando censui, qui valde hebetes essent, eujusmodi ferun- tur esse oculi noctuarum. Vtriusque generis oculis attentè in suas partes con- fectis, humores cum humoribus, tuni- cas cum tunicis, nervos cum nervis ac- curatè contuli; quaqué re discrepare ea deprehendi, sive perspicuitate aut ob- scuritate humorum, sive tenuitate aut crassitudine tunicarum, sive plenitudine aut gracilitate nervorum, ea re exacui oculorum aciem, aut habescere judica- vi. Nec his finibus stetit novæ hujus Academiæ industria, nam & Astrolo- giæ studia complexa est. Pervenerunt ad me unà cum Ægidii Macæi Biblio- theca instrumenta quoque ad Tychoni-

co-

corum formam ab ipso affabré facta, quibus fuerat usus ad obſervandos mo-
tus Cometæ Anno MDCLXVIII. exorti, uti
declaratum ab eo eſt in Libro, quo to-
tam Cometæ hujus historiam eruditè
descripsit. Nos eadem quoque adhibui-
mus in altero Cometa obſervando, qui
Anno MDCLXIV. apparuit. Nec neglecta
à nobis eſt pars ea Physicæ, quam vul-
gari nomine Chymiam nuncupant,
quamque ego naturæ breviarium sole-
appellare: mirabiles enim illi, quos in
noſtro hoc orbe naſura edere ſolet, eſſe-
tus, eosdem in angulis ſpatiis, ſub
oculis ſpectantium ars imitatur Chymi-
corum. Ex frequenti ejus meditatione
atque ufu prodiit Carmen noſtrum *de
Sale*, quo munere proſecutus ſum cla-
riſſimum Montauſerium ipliſ Calendis
Januarii Anni MDCLXX. Excolebant eam
affiduè viri Societatis noſtræ duo, at-
que eorum alter præcipue, nomine di-
ctus Hautonius, Medicus, homo can-
didus, ingeniosus etiam atque ſolers,
ſed artis ſuæ ſtudio ita incensus, ut ei
magna omnia tribueret, & metallorum
transmutandorum potestatem, & me-
dicamenti hujusmodi componendi, quo

morborum abigeretur omne genus, & ad quingentos annos vita hominum produceretur. Cùmque parùm docilem me in iis omnibus & credulum nactus esset, tùm in iis præsertim quæ de auri confandi facultate asseveranter jaçtantem saepe audiebam, Si quando, inquit, fueris Rothomagi, velim convenias Poræum, primarium hujus urbis Medicum, rogesque meo nomine, narreret tibi quid si di juveni olim Pontaudomari contigerit eum ignoto quodam Sacerdote. Aliquot post hunc sermonem diebus peto Rothomagum, convenio Poræum; tum quærenti mihi, Hautonii nomine, quid sili Pontaudomari evenisset aliquando, cum peregrino quodam & ignoto Sacerdote, sic ille respondit: Cùm in illam urbem venisssem circa annum ætatis meæ quintum & vigesimum, familiarium negotiorum causa, accitus sum ad visendum ægrotum quemdam, morti jam proximum. Huic aderat cum tota familia homo sacri ordinis, uti significabat habitus; valde ille quidem negligens & incomitus, qualis esse debuit peregrinatoris, quem & ex cultu & ex vestimentorum vilitate pauperem etiam di-

xix

xisses. Is cùm Pontaudomaro iter faciens, egenum quemdam sibi fortè oblatum & morbo nescio quo graviter laborantem facilè sanasset, ex rei fama per urbem didita, accersitus fuerat ad illum quem dixi ægrotum. Quem cùm & de morbi natura ejusque curatione differentem audissem, aliud esse in recessu intellexi quām quod ex viri fronte potueram conjicere: atque id multò etiam magis, postquam hominem jam penè mortuum, ut à Medicis desertum, adhibito levi quodam, sed valde efficaci remedio, ad vitam integrumque sanitatem revocavit. Quæ cùm me valde mirantem vidisset & laudantem, seducto mihi aliquantisper, Si tu, inquit, veneris ad me in gurgustium, in quo diversor, faxo videoas aliud quidpiam, quod magis etiam fortasse mireris & laudes. Veniam enimvero, inquam. Ex adfui profectò ad statum condictum tempus. Ille ubi me videt, Jubeto, inquit, afferri ad te fictilem catillum, in eumque injicito aliquantum plumbi, tum ad ignem admovebo; atque hæc tuā manu, ne fucum alienia manu factum tibi suspicari possis. Mox deponitam ex

scripicio explicat membranulam, pulvere quodam rubido plenam, immissoque in eam acus capite salivâ madefacto, paullulum illud quod adhæserat pulveris excutit in plumbum liquatum. Id recepto pulvere ebullit statim cum crepitu, & effervescebat, flammarumque sursum emititur violaceam, quæ postquam sensim evanuit, rem ille dixit esse confectam, meque effundere liquamen jussit in patellam ferream, paratam ad hos usus, quam secum in sarcinis deferre solebat. Mira res! apparet auri massa, stupente me & hiscente, vixque oculis fidem habente. Tum is leviter arridens frustulum defringit ex gleba hac aurea, & ad perpetuam rei memoriam servandum mihi offert & utendum. Ego vero accepi ac lubens, & ad auricicem detuli, ex coquem mihi cudi jussi annulum hunc, quem in dito gestavi ad hanc diem. Quæ cum dixisset Poratus, detractumque dito annulum præbuisset insciendum, insculptas in interiori limbo notavi literas quasdam, quibus aurum id esse philosophicum significabatur. Sed indeamus ad Hautonium.

Non in auri tantum, aliquandoque metal-

tallorum conflatura versabatur ipsius labor: multum is præterea ponebat operæ in aqua marina mitiganda, & sale ex ea per crebram & repetitam vaporationem eximendo, quoad planè dulcesceret, potuique idonea fieret & salubris. Alii interim alias tractabant Physicæ partes, neque ulla erat, quam intentatam & inaccessam Sociorum nostrorum relinqueret sedulitas. In his Johannes Gosselinus Villonius fluminis Olenæ Cadomum præterfluentis alveum obli-
matum & rupibus ac molendinis obseptum purgare, & navigabilem efficere temptabat. Is quoque in Vallem Collavil-
læam mare inducere, portumque illic ad oras Britannici maris molibus disjectis perfodere nitebatur. Nicolaus quoque Cromarius Lassonius speculum parabat ex ære fusili, majoris ponderis & amplioris diametri, quam ullum usquam aliud, quod quidem ad notitiam nostram pervenerit. Sed & in usum conspicillorum vitris hyperbolicam figuram excavando indere moliebatur ad eum modum, quem in sua Dioptrice præscripsit Cartesius; quem modum vix quisquam adhuc certo & accuratè tenere potuit; &

K 6

hy-

hyperbolicam præterea figuram ad augendam conspicillorum vim planè inutilē esse contendebat Robervallius, insignis Geometres. Utut est, præclara illa Lassonii orsa præmatura mors intercepit.

Non agendo verò, sed scribendo studia nostra promovebat Petrus Callyus, in Academia Cadomensi Regius Eloquentiæ & Philosophiæ Professor: nam & totam Philosophiam grandi Operे complexus est, & Boëtii Librum *De Consolatione Philosophiæ* eruditis interpretationibus illustravit. Verùm cùm in privatis Societatis nostræ exercitationibus Cartesianæ doctrinæ, sibi antea planè ignotæ, rudimenta percepisset, velut cœstro quodam percitus, tanto eam impetu arripuit, ut repudiatis Aristotelicæ disciplinæ principiis, quæ, pro more in Scholas recepto, & tradere & tueri debuisset, non Philosophiam solùm, sed & Theologiam infecerit hoc fermento, ipseque adeò in Ecclesiæ reprehensiones incurrerit.

Cùm autem Academiam nostram, tam felicibus natam auspiciis, in publicam utilitatem adolescere intellexisset clarissimus

mus Colbertus, regni Administer, certissimum literarum Literatorumque columnen, atque hæc per eum ad ipsum deinde Regem perlata essent, liberalitatem ipsius & beneficentiam nostra sensit Societas, suppeditatis benignè pecuniis ad sumtus faciendos & toleranda experimentorum impendia. Quæ cùm Regis nomine numerari mihi juberet Colbertus, magnopere quoque adhortatus est ad exērcenda naviter rerum naturallium studia, & fines Physicæ utilissimæ scientiæ promovendos. Tam feliciter autem increbuit florescentis hujus Academiæ fama, ut Bellovillarius, Dux Santanianus, literariæ gloriæ percupidus, in eam optaverit admitti, suumque nomen ut in Academicorum nostrorum seriem referretur valde à me contenterit.

Cadomum delatus est per eos dies vir literatus & priscæ potissimum Philosophiæ benè peritus, sed & morum præterea comitate amabilis, omnique elegantiâ excultus, Senatus Aquensis Praeses Cormisius, illuc reflantis fortunæ invidiâ & Regis jussu relegatus. Attulit ille ad me literas commendatitias

K 7

ab

230 PETRI DAN. HUETI
ab illustri femina Catharina Vivonniæa
Rambullieta, jam superiùs commemo-
rata, quibus viri prædicabat laudes,
meque enixè rogabat, si quomodo ho-
minis sublevare possem infortunium,
aut consolando, patriæque desiderium
dictis leniendo, aut afflictum rebus ipüs
juvando, & assidua consuetudine re-
creando, his officiis ne deessem. Ad id
autem etsi me satis impellebat ipsa hu-
manitas, multò tamen magis movebar
ipsius eruditione & virtute, vel ex pri-
mo congressu cognita. Frequens itaque
illi aderam; nec ullus effluebat dies,
quin aut ille ventitaret ad me, aut illum
ego convenirem, simulque vel per amœ-
nissimas Olenæ ripas, vel per viridissima
prata deambularemus. Omnis autem
ferè sermo erat de veterum Philosopho-
rum Sectis; quarum omnium cùm egre-
giè scjens erat, tūm earum præcipue,
quæ animum jubent ab omni assensu
sustinere. Summopere itaque compro-
babat Sexti Empirici doctrinam, effe-
ctique commendatione sua, ut Auctor
adhuc de nomine tantum mihi cogni-
tus pervolutaretur à me diligenter, mi-
hiique fieret perfamiliaris, & summa ef-
fect

set illius apud me commendatio.

Decesserat his diebus Senator quidam Curiæ Rothomagensis, cuius frater sororem meam habebat in matrimonio, & ad quem jure hæreditario devenierat munus illud Senatorium. Quo cùm ipse defungi, & Senatoris titulos gerere non posset, possidendum id mihi & exercendum non obtulit modò, sed ne oblatum adspernarer, magnopere quoque obtestatus est. Idipsum enixè contendebat à me tota nostra familia, ne sibi deesset, ejusque columen alterum, postquam detractum erat prius illud, esse vellem. Nec initio repugnabam profectò, ita me venturum sperans in societatem multorum hominum, qui mihi essent aut cognatione aut affinitate conjuncti. Verùm re attentiùs perspecta, planissimè intellexi, si boni & diligentis Senatoris partes omnes exsequi vellem, mea omnino mihi deferenda esse studia, quæ omnibus fortunis, vitâque adeo ipsâ mihi essent cariora. Quamobrem repudiato hoc munere, in Musei mei latebras me retuli.

Interea Musis prosperum fidus affulgit, magno Rege suæ in Literatos liberalis-

I An. 1662.

ralitatis fontes aperiente. Sapientissimi enim Colberti consiliis obsecutus , viros per Europam eruditos annuis pensionibus decoravit. Ego verò ruri tunc agebam , in molli & obscuro otio , rerum cæterarum , quæ per Orbem gererentur , incuriosus & inscius ; cùm perfertur ad me , in eorum esse me numero , quos gratificatione sua exornandos Rex judicasset. Cùmqne beneficentiam hanc bisterve ad summum senserint plerique , collata ea in me est & continuata per multos annos , etiam post Colberti mortem.

Venerat in Galliam paucis ante hoc tempus diebus Comes Totius à Rege Sueciæ missus , qui Legati munere fungeretur : Capellatum adiit ille , quem mihi sciebat veteri necessitudine addictum ; dixitque habere se in mandatis à Suecici regni Proceribus , denuntiaret mihi universis illorum suffragiis delectum esse me , cui Regis sui in literis instituendi cura tradiceretur ; quapropter maturandam esse profectionem meam in Sueciam ; quæ cùm absenti mihi significare non posset , (agebam enim tunc in Normania) rogavit Capellatum id ad me con-

confestim perscriberet. Nec officio defuit Capellanus. Verum ego Suecici cæli inclem tam expertus, gentisque asperitatem, & mores à Gallica urbanitate adeò alienos, oblatum munus modestè repudiavi.

Hoc tempore Cadomo iter habuit Spiritus Flexarius, in Episcopatu Ne mausensi nuper defunctus. Erat ille redditus studiis Eloquentiæ & Poëtices, quas locupletaverat prædivite humaniorum literarum instrumento. Iter ille tunc habebat in agrum Constantensem inferioris Normanniæ: utque mecum erat veteri necessitudine conjunctus, correxit ad me in Bibliothecam suspenso gradu, & incogitantem arctissimis implieat complexibus. Nec ego sanè mediocriter jucundissimi amiei adventu lætatus sum. Florebat tunc eruditis & ingeniosis hominibus Academia publica Cadomensis; nam præter laudatos jam à me Hallæum & Callyum non leve attulerant ei decus Gulielmus Pyrrho & Jacobus Larius, Professor regius uterque Græcarum literarum; ille etiam clarus editis in Claudianum luculentis Commentariis, ad usum Serenissimi Delphini.

Lustra-

Lustrabat per eosdem dies Normaniam Provinciam Sammauræus Montauferius, ei regendæ nuper à Rege præfectus. Et quamquam mihi nupera admodum erat cum eo notitia, nec in illius usquam veneram, vel colloquitionem, vel conspectum, literas tantum ad me dederat plenas humanitatis; is tamen cùm Cadomi esse me sciret hoc tempore, quo jam prope venturus erat, rogavit amicū quendam meum, virum nobilem, daret operam, ut cùm Cadomum iturus, diversaretur in ipsius domo, sex milliariis inde dissita, sic enim convenerat, illuc ego quoque adventanti sibi obviam irem. Qua de re admonitus ab amico, ad præstitutum tempus atque locum præstò fui; tumque primùm viri cognoscendi & consalutandi mihi copia fuit; cui me sua virtus, & singularis erga me benevolentiae significatio, plurimis & insignibus contestata officiis, in reliquum vitæ tempus conjunctissima necessitudine devinxit. Accessit ille Cadomum, comites secum adducens Menagium & Segræsum. Erat mihi vetus cum Segræsio hospitium, quod cùm mihi esse itidem opta-

optarem cum Menagio , uterque apud
me diversatus est. Montauserium vero
ipsum in magnificas suas ades, excepit
Briofius , in quas excipi solebat celebris
illa Cadomensis Academia. Itaque viua
hic est in ipso Musarum sinu hospitari.
Nec rem ipsam ab hac opinione mul-
tum dixisses ab ludere ; frequentes enim
salutandi ejus gratia conveniebant illuc,
in ipso qui Academiae columna habeban-
tur ; nec alii ferè sermones erant quam
de literaria re , in quibus partes ipse suas
Academici egregie tuebatur Montauser-
rius , ut nisi cum ad majora tulisset for-
tuna , in partem chori hujus venturum
censuisses.

Tum maximè vero meus me exerce-
bat Origenes : jamque Opus prælo pa-
ratum erat , cum Stephani Monachi-
amici mei , operâ Libri nostri typis im-
primendi curam in se recepit Bertheli-
nus Bibliopola Rothomagensis. Utque
res abitura erat in longitudinem , nec
facile procurari poterat me absente , Ro-
thomagum petere , atque illic sedem ad
aliquid tempus ponere constitui , cum
inde tamen vel Lutetiam , vel Cado-
mum , negotiorum causâ sœpe excurre-
rem.

rem. Ante multos jam annos Rotho-
magi plurimarum virginum collegerat
cœtum, Deoque sacraverat Laurentia
Gigalca Bellofontia, religiosæ vitæ olim
adstricta in Coenobio Cadomeni sanctæ
Trinitati dicato. Ipsa autem præter se-
xus sui morem atque captum tincta erat
literis Latinis, & aliqua etiam pollebat
poëtica facultate. Atque has dotes in
Dei rerumque sacrarum laudem & de-
cus conferre solebat. Acceserat enim
constans vitæ sanctitas, & pietas in
Deum singularis. Tam demissè autem
de se tamque humiliter sentiebat, ut
cùm amplissimi Coenobii Monasterio-
Villariensis Antistita fuisse à Rege re-
punctata, anteferri fibi rogaverit soror
sem minorem natu, seque ipsa intra æ-
diculæ suæ angustias tenuerit. Sed quid
haec ego commemoror, quæ eleganter
narravit Dominicus Buhursius, cùm
ejus vitam scriptis mandaret? At ego,
& popularitatis caussâ, cùm patria no-
bis eadem esset Cadomum, & propter
ejus virtutem, quam suspiciebam, sæpe
ventitabam ad illam, ejusque alloquio
solabar diutinam illam Rothomagensem
mansionem.

Erat

Erat tum quoque Rothomagi in Cartusiana Familia vir extemporali & expedita doctrina per celebris, D^romaus Augustinus. Longavillanum autem D^rcem s^ap^ee audiveram, cùm ingentem ejus semperque paratam eruditionem prædicaret, meque ad contrahendam cum eo familiaritatem hortaretur. Conveni ergo hominem, resque dictis fidem fecit; nec enim sine miraculo ac stupore audiebam paginas totas memoriter ex Veterum ac Recentiorum scriptis recitantem. Ac ne de fidelitate tam portentosæ memoriae possem dubitare, ex Libello meo *De Interpretatione*, qui ab aliquo jam tempore prodierat, totas paginas totidem verbis expromebat, quæ penè ex animo meo effluxerant. Ita opes suas omnes habebat in numerato; nec quicquam præterea ei erat in recessu, in penu nempe vel arca, sed ea tantum quæ ex crumena, iisve quæ ad manum essent loculis posset haurire. Quæ certè majori sunt admirabilitati quam utilitati. Nec enim is æquè dives dicendus est, qui summas aliquas ostentatnummorum, ac qui benè fundatam habet domum latifundiis, etiam si præsen-

ti

ti nonnunquam specunia careat.

Cadomum appulerat circa hæc tempora Theophilus sive Goswinus Hegersius, (utrumque enim nomen usurpabat) doctus juvæsis, & optimis studiis deditus, cum in Gallia aliisque Europæ regionibas peregrinaretur, ut est mós Batavorum & Germanorum. Ille me crebro intervisebat, & omnibus colebat officiis: cumque identidem extorisset à me versiculos, diversis compositos temporibus, eos redux in patriam typis committi curavit injussu meo. Itaque Poëta probabilis habebatur in Hollandia, cum ne in Parnassi quidem radicibus adstitisse crederet in Gallia. Verum prodeuntibus annis industriam meam saepius periclitatus, faustusque precatus Apollinem, propitium eum sum expertus, ut numero aliquo inter Poëtas esse coepus sim. Favebat præcipue conatibus nostris Menagius, Cossartius, & Rapinus, Poëtæ & ipsi nobiles, plausibusque me ad artis musicæ palmarum petendam excitatabant. Favebat & Franciscus Carpentarius, unus è Sociis Academiæ Frâncicæ, antiquitatis literatè peritus, & in poëticis exhortationibus

ac

ac præsertim Gallicis minime rudit. Nec adsperrabatur carnina nostra Guilielmus Baütruvius, existimator intelligens, uberrimis ornatus literis, summo ad hæc præditus & ardente ingenio, & aulicarum artium scientissimus, de quo jam suprà dixi. Facetiis præterea, dicitate, & festivitate cæteris præstabat omnibus, si unum excepisses Ludovicum Rohannium Guemenæi Principem, conditum ut ipsum sale, argutiis & lepore. Quibus cum mirificè capiar, & cupidissimè eorum fruerer alloquio, studium meum agnoscebant ipsi, coque delectabantur.

Commodum Lutetiâ Cadomum redieram, cum officiosè venit ad me Hadrianus Parvillerius, è Societate Jesu, redux nuper è Syria, in qua multam rerum ac Linguarum Orientis messem collegerat, ac præcipue Damasci, ubi per decem annos Arabicas literas publicè docuerat. Utque erat hujus Linguae apprimè gnarus Arabicè, & valde quidem eleganter scriptas epistolas miserat ad Bochartum. Amicè itaque complexus hominem, omni officio amicitiam ejus mihi conciliare sum conatus, non

pa-

parum inde sperans emolumenti ad mea studiaque mea perventurum. Eam verò & ipse liberaliter detulerat, literarioris consuetudinis mecum conjungendæ, sed disque Cadomi apud nos ponendæ valde cupidus. Verùm aliter visum est Societatis Magistris, qui Parvillerium traduxerunt Flexiam Andegavorum, ubi in obscuro otio mortem paulò post operariit: unaque cum eo periiit ingens Opus, editioni jam paratum, quo parta sibi ex Oriente spolia fusè explicuerat, quodque *Interpretem Orientis adscripto titulo* appellari volebat.

Eram tum quoque Cadomi, cùm de ara maxima templi Sancti Johannis, in quo lustralibus Sancti Baptismi aquis tinctus sum, in meliorem formam restituenda, novisque operibus exornanda cœptum est cogitari; imprimisque de tabella, in qua depingendus erat Christus, in aquis Jordanis baptismum à Johanne suscipiens. Ac volebant plerique rei perficiendæ curam municipalibus quibusdam & minutis Pictoribus, familiariter sibi cognitis, demandari. At ego utendum censui ejus operâ, qui tum artis hujus in Gallia princeps haberetur; hunc

hunc autem Brunium esse sine contro-versia, qui egregiis picturis domos regias tunc locupletaret; quamvis autem uni dicasset Regi industriam suam omnem, sperare me tamen, pro ea, quæ mihi cum illo erat, consuetudine, impetraturum, ut furtim & horis subsecivis aliquantulum studii sui & laboris in opus nostrum concinnandum conserret. Quod ille ægrè quidem, sed precibus tandem meis vixius amicè concessit.

Iisdem ferè temporibus in media Academia Cadomensi, inter eruditos doctorum hominum congressus repentina morte extinctus est Samuel Bochartus. Exorta erat quæstio subdifficilis de nummis quibusdam Hispanicis, quorum mentio exstat apud Covarruviam; eaque satis acriter inter me & illum tum fortè disceptabatur, cum subito toto corpore contremiscentem pavor lethalis occupat, statimque mortuus corruit, magnonostrūm omnium dolore, & gravi rei literarizæ jacturâ. Caussam obitus conferbant Medici in coagulationem sanguinis,

L

per

per quam intercepto cordis motu, mortem consequi necesse erat. Etsi verò jamdiu ab ejus familiaritate simulas quædam me abstraxerat, ob eas caussas, quæ suprà expositæ sunt à me, ejus tamen peracerbus mihi fuit incertus: quamvis enim injuriis ejus laceitus remiseram non nihil de pristina nostra consuetudine, haud quicquam tamen de existimatione virtutum ejus, deque meo adversùs eum cultu detrahi passus sum, ac ne de officiis quidem, quibus inter literatos viros & alitur societas, & literæ promoventur. Id ipse palam testificatus est in *Hierozoico* suo, cùm de Oryge disputans, insigne & accuratum horum animalium protulit diagramma, ex veteri expressum tabula, quam cum eo communicaveram. Ad Arabica quoque studia, ac Syriaca etiam, magnopere me excitaverat, post Parvillerii discessum, cuius in disciplinam tradere me statueram; & Bocharti monitis obsecutus ea diu intermissa repetiveram. Scripsérat ille quidem ad me, paucis ante obitum diebus, grandem epistolam, quâ suffragium Origenis adscere conabatur ad Calviniani dogmatis tutelam, adversus Catholicani veritatem,

tem, de Eucharistia, & de cuku & imploratione Angelorum. Quâ epistolâ cùm sanctissimæ nostræ Religionis violaretur integritas, officii mei esse censui solidam cum & explicata responsione confutare. Jamque scriptio nostra spectabat ad exitum, cùm Bochartum mors oppressit. Nihilo tamen secius utraque deinde epistola venit in lucem, quas legi simulque diligenter conferri valde velim, ut inde existimari possit quantum præstet errori veritas, quantâque animi impotentiâ vir cæteroquin moderatus vanorum opinionum deliriis deludi se & abripi passus sit.

Neque hîc prætermitti decet perfactum quipiam, quod mihi Lutetiam eunti tum fortè contigit. Erat in comitatu vir amicus, venustus, & dicax, versuum ex tempore fundendorum patrio sermone mirabili polleas facultate, eaque in familiari sermone libenter & jucundè uti solitus. Ego autem ex assiduo ejus congresu paululum etiam quipiam contraxeram usus, ad ejus jocosa carmina sermone adstricto expedite respondendi. Itaque non aliter fere disserebamus inter nos, vel in itinere, vel in diver-

244 PETRI DAN. HUETII

soriis, quam poëticè. Cùm autem di-
vertissimus aliquando in cauponam, ma-
lierculariisque hospitiam carmine essemus
pro more allocuti; illa haud cunctanter
carmina carminibus reposuit, tam ex-
promta facilitate, ut nos tarditatis etiam
nostræ puderet.

¶ Origenes interea noster, emissus tan-
dem è carceribus typographicis, paratus
jam erat ad curriculum. De patrono ita-
que his severiorum nostrorum studio-
rum primitiis adsciscendo cogitandum
michi fuit, ne morem hac ætate receptum
viderer sine causa deseruisse. Ac pri-
mùm elaboratum Opus in Ecclesiæ usum
& commodum, ad eam jure visum est
pertinere, & Ecclesiæ Gallicanæ Patri-
bus esse dedicandum; quorum patroci-
nium decori esset ipsi futurum. Cùm
que meam hanc voluntatem ipsorum con-
fessui, qui tum fortè Lutetiae celebraba-
tur, significassem per literas, acceptissi-
mam sibi eam esse per Episcopum Tu-
telensem responderunt. Verùm cùm in-
tervenisset Regis in me liberalitas, ejus-
que domis essem ornatus, admonuit me
clarissimus Colbertus, regiae gazæ dis-
pen-

I An. 1687.

pensator, ad eum referendos esse studiorum meorum fructus, qui beneficiis suis juvanda ea & promovenda suscepisset. Quia lege proposita, non alio nomine decorandum esse statui frontem Operis nostri; atque id per me ipsum Regis offerendum censuit Colbertus; per se verò me ad eum intima admissione introducendum. Deduxit itaque dilectus ad Regem, mibique praeconium suum ac commendationem præstabilit liberaliter munusque nostrum honorificis verbis exornavit. Nec patitur pudor noster hic referre, quām benigna allocutione salutationem nostram atque munus exceperit magnus Rex, quāmque gravi hortatu excitaverit me ad persequenda gnavoriter studia literarum, quāmque seria affeversatione iis favere se velle pronuntiaverit.

Per idem tempus Colbertus, pro suo in literas amore, Lutetiam arcessivat Jacobum Grandorgæum, Monachum Ordinis Benedictini, ex Abbatia Fontanetensi, quæ deinde commendatario, ut vocant, jure tutelæ nostræ commissa est. Hic quem dico Grandorgæus prodierat ex disciplina Aegidii Max.

cæi, & sideralibus doctrinis fuerat à prima ætate institutus, quarum & ipse à pueritia magno tenebar studio, propter caue: viri consuetudinem olim appetiveram. Jamdudum autem jaftantem cum audiebam, tanta contentione frustra tamdiu quæsitum ab aliis, tantis expeditum studiis, repertum tandem à se in celeberrimum illud & ignorissimum, ac navigationi commercioque addi utile arcanum, quo loci enjusque intervallum à primo Meridiano, quod longitudinem appellant, quocunque loco, quocunque tempore, certò possit deprehendi. Quod cùm ab exploratis minimèque dubiis debeat principiis profici, & per manifestas deduc rationes; ipse in vanissimis & ineptissimis Astrologiæ, quæ *Judicaria* vulgari nomine appellatur, figmentis totius rationis sui, fundamenta posuerat. Itaque magno sao flagicio, non spem quidem meam, nihil enim sani ex inani hac statione expectaveram, sed splendidi sui promissi fidem fecellit.

Longè diversâ in Mathematicarum artium tractatione grassabatur viâ Ægidius Persona Robervallius, Geometricæ potissi-

tissimum scientiae laude pernobilis ; & in Philosophicis quoque rebus non indiligerter versatus. Quibus fretus Cartesii adspernatus figmenta , tam crebris ea & acutis oppugnavit disputationibus , ut admonitus de iis Cartesius excanduerit vehementer ; & ut erat omnis contradictionis impatiens , nec alios quam sui laudatores patiebatur , nunquam cum eo in gratiam , frustra laborantibus amicis , redire voluerit. Primus tum tenebat inter lusores Scacchorum Rober- vallius , si qua ea laus est ; utque velitationis hujus non eram inexpertus , nonnunquam cum eo periclitabar industriam ; sed ita tamen ut inferior discederem.

7

Excipiebat tum apud se Gulielmus Lamonius , Senatus Parisiensis princeps , florentissimum doctorum hominum cœtum ; quem novam quamdam Academiam potuisse dicere. Certo illi conveniebant singulis hebdomadibus die , & eruditos inter se sermones conferebant. Iis autem intereram libenter & studiose , à Lamonio benignè accitus , cuius fueram jampridem benevolentiam expertus , & saepe cum eo rusticari solitus in

L. 4

amœ-

amoenissimo secessu Bavillano, ad fontem Polycrenen. Quem fontem cùm suavissimis suis carminibus celebrasset Renatus Rapinus, assiduus Lamonii affectator, & ad idem officium pellucido fonti, in gratiam Lamonii, præstandum amicos suos, meque adeò ipsum invitasset, parui illico roganti, & cognitas mihi Polycrenes delicias his versibus decantavi:

*Castalium mendax quid jactas Gracia
fontem?*

*Quid Pbœbum & socias, nomina
vana, Deas?*

*Quæ Sancaronicis Polycrene labitur
arvis,*

*Obscurat famam nobilis unda tuam.
Hec parit innumeros facundo gurgite
vates,*

*Afflat & in laudes entbea corda tuas.
Huic quoque numen adest, buic & suus
adstat Apollo,*

*Cùm placidis adstat Lamonieus aquis.
Qui comitem sese dederit si fortè Ra-
pinus,*

Vna Pieridum tunc Chorus omnis adest.

In

In celebri hoc conventu Lamoniāno-
tum primām videre mihi contigit Ta-
naquillum Fabrum, municipem no-
strum, Græcis Latinisque doctrinis,
omnisque antiquitatis peritiā insigniter
excultum; at Calvinianis etiam tum im-
plicitum erroribus, in quos etenī præci-
pitaverat licentia juvenilis abstractum
à Catholicis & Ecclesiasticis ritibus,
quibus à prima ætate fuerat addictus.
Post repetitam autem ab eo stationem
Salmuriensem, & initum inter nos li-
terarum commercium, partium mearum
esse credidi, revocare hominem, & pos-
sem, ad saniora consilia, sifitosque in
eo pietatis sensus excitare; nec ināni sa-
nè operā, nam videbatur oculos ad lu-
men attollere; cùm hæsitantem in luto,
morasque nectentem, improvisa mors
occupavit.

Coaluit etiam hoc tempore consuetu-
do aliqua inter me & Carolum Fres-
næum Cangium. Plurimum is lucis &
commodi intulit bonis literis, cùm By-
zantinam Historiam locupletaret lu-
cubrationibus suis; & multò etiam
magis, cùm Græcam & Latinam Lin-
guam, postquam barbarie inquinari

& obsolescere coepit est, concinnat^{is}
summā, & accuratā diligentia *Glossariis*
illustraret.

Commodū redierat Lutetiam hoc tempore Johannes Baptista Tavernerius, redux ex longinquis & diuturnis peregrinationibus. Quarum descriptiones legram studiosè, ut & alias plerasque generis ejusdem, magnanimi voluptate: quique tam multas res cognitu dignas ex ejus libris didiceram, plures etiam ex ejus congressu percepturum me sperabam. Ad eum itaque adii, multaque de rebus Orientis ab eo percontatus, hominem reperi subagrestem, inurbanum, externis oblitum moribus, quem facile suspicatus esset in narracionibus suis describendis alienā operā usum esse. Etsi non pauca intellexi ex ejus sermonibus, quae qui me docere posset, præter eum habui neminem.

His ipsis diebus per Bertaldam Motivillam, lectissimam feminam, planè incogitanti mihi nantiari curavit Ludovicus Rivierius Lingonensis Episcopus, florens quondam favore Gastonis Ducis Aurelianensis, valde optare se in amicorum incorum esic numerorum, seque omni-

omnibus officiis daturum operam, ut hanc à me gratiam inire posset. Quare nihil mihi sanè poterat contingere jucundius, non tamen quidem ob amplissimam præclari Antistitis dignitatem, quam ob inusitatam amoenitatem illustris ingenii, quam sæpen numero prædicaverat apud me Patrisius, cui fuerat cum eo in Gastonis comitatu diuturni contubernii necessitudo. Sic enim ajebat, Gastonem, ut ingeniosa quadam ipse erat hilaritate conditus, ita apud se collegisse homines singulari festivitate atque excellenti solertia præditos, Bellotium, Caudabonium, Vetturium, aliosque complures; adeò ut Gastonis aula urbanitatis ipsius videretur esse domicilium; at eos tamen omnes & ingemii præstantiam & elegantiam à Rivierio fuisse superatos. Nihil ergo mihi potius fuit, quam ut perciperem tam insperatum gaudium, meque ad excellentis viri amicitiam mihi ultrò delatam applicarem. Ad quem ut veni, amanter me complexus, Quam gaudeo, inquit, ejus conspectu & alloquio frui, de quo tam multa tamque jucunda disseruit apud me Patrisius, egregius virtutum & meritorum spectator! nunc ad

L 6 ea,

ca, quæ de meo in te studio narrantes
audisti Mottavillæam, illud adjiciam,
quicquid auctoritate, gratia, & opibus
valeo, totum id me tibi deferre ex ani-
mo, atque velle à te haberi ut tuum:
ac primum, ut saepius visamus inter-
nos, magnopere velim commigrare te
huc vicinæ: planè enim, si me audis,
deserenda tibi Provincia est, petenda in-
reliquum vitæ tempus Lutetia, nativa
urbanitatis & eruditionis sedes, à qua
si quis Gallus malo suo fato cogeretur
abesse, nusquam alibi tam dulces poterit
ex laboribus suis ac studiis fructus capere;

*Nec tam præsentes alibi cognoscere Di-
vos^{1.}*

Nunc verò ut citius coalescat jam con-
ciliata, uti spero, inter nos conjunctio,
proximis hisce diebus concedamus, si
commodum tibi fuerit, Petiburgia-
num meum, ibique intimos animi no-
stri sensus simul expromamus. Tum
subjicit Terentianum illud², (aprimè
enim callebat veteres Poëtas)

Meus

*1 Virg. ecl. 1. vers. 42. 2 Eunuch. Act.
1. Sc. 2. vers. 116.*

*Meus fac sis postremò animus , quando
ego sum tuus.*

Quæ cùm acta essent inter nos , spemque suavissimæ in futurum tempus consuetudinis dedissent , febre postridie corruptus , sexto die interiit . At Motavilla illa Bertalda , quæ amicitiæ hujus inter nos conciliatrix fuit , scriptos reliquit commentarios de rebus in aula gestis , dum inter Reginæ Annæ Austriae cubicularias primum locum teneret , eosque satis probandos , si Historiæ leges accuratiæ calluisset . Quos cùm mihi post sororis obitum prælegisset ipsius frater Bertaldus Freauillæus , in Curia Parisiensi Senator , recti sanè visi sunt & venusti . Nec fuit hic ipse Bertaldus bonarum literarum expers , scriptoque nec inscito , nec indocto togæ dignitatem contra militaris sagi & armorum splendorem afferuit . Pater illis fuit Petrus Bertaldus , qui Abbatia nostraræ Alnetanæ per trienium præfuerat ante conjugium , & in eo munere successerat Johanni Bertaldo fratri Sagiensi Episcopo , magnam laudem carminibus suis inter Gallos prome-

sito, quæ quinta nectaris sui parte Mu-
ſæ visæ sunt imbuisse.

Dum suavissimam suam fabellam *Za-
bydam* lucubraret Laverna Fayetta, de
qua dixi, operamque ad id suam & no-
men commodaret Segræsius, quæsivit il-
le ex me aliquando, quosnam primos ar-
bitrarer Romanensium Fabularum artifi-
ces existisse. Ego pauca quædam respon-
di pro tempore, sed ejusmodi tamen, ut
ea sibi dictari à me valde vellet. At ea
neque esse tanti dixi, neque tamen levis-
fore operæ, aut exigui temporis, si quæ
à me properanter effusa essent, distinctè
scriberentur. Abs te igitur peto, inquit,
ut ea literis mandes per otium, mecum-
que communices. Quod & facturum-
me spopondi, modò non ad diem cer-
tum, sed pro commodo meo promissi-
fides exigeretur. Septem milliariis Lu-
tetiâ versus Ortum diffusa est Abbatia Ma-
lunodensis, religiosarum virginum sedes.
Commissa fuerat hujus rectio Mariæ Leo-
noræ Rohanniae, jam suprà à me lauda-
ta, cùm priùs præfuisset Monasterio
Cadomensi, quod à sancta Trinitate no-
men habet. Commeabam identidem ad
illam yisendi causâ, commorabarque
non-

nōn nunquam apud eam per dies aliquot. Commodus visus est secessus ille commentationi huic quam meditabatur. Et quoniam libris eram imparatissimus, si quem Scriptorem consultum vellem, scribebam ad Coffartium, custodem, vel mentem potius locupletissimæ Bibliothecæ Collegii Parisiensis Societatis Jesu, rogabamque ut vel libros ad me mitteret, vel loca dubia ex libris ipsis excerpta. Quod ab amico & docto viro siebat diligenter & accurate. Ergo operi incumbebam gnaviter, & quæ scripseraam per diem, sub vesperam eruditæ virginis prælegebam; atque ita demum prodit' ea Epistola ad Segræsum scripta, quæ deinde venit in lucem & Zabyda Fabulae præfixa est: de qua mihi saepè jocans dicebat Laverna, auctor ipsa Operis, nos liberos nostros inter se connubio junxit. Nec infaustum sanè fuit hoc coniugium; nulla enim ferè per Europam gens est, quæ non par illud coniugum adsciverit sibi, & ad se transtulerit. Porro miratus non sum criminis mihi datum esse ab austerioribus quibusdam hominibus, quod de Fabulis Romanensibus hoc

Ope,

An. 1666.

Opere differens, non modò non impro-
baverim compositionem earum ac lectio-
nem, sed iis etiam favere visus sim; at-
que ita induxerim corruptelam hanc in
vitam moresque juventutis, & velut pa-
bulum intemperantiae præbuerim. Quod
si ita esset, non pigeret utique melius
consultum senem ea recantare, quæ ju-
venis inconsideratè effudissem. Verum
si quis ad eas attenderit cautiones, qui-
bus ejus animum præmuniri jussi, quis-
quis ad has amatorias scriptiones accessse-
rit, exuat is fortasse anteceptam animo-
opinionem, mihique assentiatur.

Nec imparatus ad argumentum hoc
tractandum accessi; nam amatoriis hisce
narrationibus, Græcis & Latinis, jam-
dudum dederam operam, & Longi Sophi-
stæ, ut suprà à me dictum est, redditæ
fuerant à me Latino sermone *Pastoralia*;
& veteribus etiam Gallicis Fabulis, ante-
ducentos trecentosve annos scriptis,
etiamnum puer, summopere fueram de-
lectatus. Sæpe quoque sorores meas
duas apud me prædicantes audiebam
Astrea Fabulæ, ab Honorato Vrfæo scri-
ptæ, amoenitatem & elegantiam, roga-
guntque me etiam aliquando, ut ad eas
ruri

ruri tum agentes deferrem Librum , quem simul per otium legeremus . Parui illico ; atque hac lectione ita afficiebamur interdum , ut nobis aliquando excuteret lacrimas , vocemque dolor interciperet . Hinc vehemens incessit quoque mihi cupido in hoc genere scriptionis periclitandæ meæ industriæ . Quamobrem fabellam hujusmodi ipse quoque lucubrare institui . At qui in eam inserti erant & relativus penè omnes , non ad arbitrium , ut fieri solet , fuerunt conficti , sed re ipsa vel mihi ipfi contigerant , vel hominibus certè mihi benè cognitis . Adeò ut præter rerum ordinem , eventuumque contextus & commissuras , in quibus tamen tota ferè ars posita est , cætera perita effsent extrinsecus . Paucos autem adhibueram lucubrationis meæ testes ; quasi mihi tantum & Mufis canere voluisse , ut est in veteri proverbio . Donec quadragesimo post anno cùm fortè non nihil de ea incauto mihi inter mulieres excedissent , tam assiduo convicio postularunt à me copiam ejus sibi fieri , ut importunæ petitioni cedere tandem sim coactus : sed ita tamen , ut nunquam exiret ex manibus meis , nullamque ejus ex-

258 PETRI DAN. HUETII
excipi descriptionem passus sim.

Est in litore Cadomensi, non longè
ab ostiis Olenæ fluvii, Templum beatæ
Mariæ Virginis sacrum, satis antiquum,
sed incertæ aetatis & originis, magna
circumiacentium populorum & externo-
rum etiam concursu frequentatum, De-
livrandæum dictum pervulgato nomi-
ne, sive ab agro Yvrandæo, in quo si-
tum esse fertur; sive à liberata & serva-
ta gente, sanctæ Virginis cultrice. Illuc
sub vernum tempus procedere solent sup-
plicantium Cadomensium ordines ritè
instructi, sanctissimæ Virginis laudes de-
cantantium. Tunc autem vehementi
carum quoque laudum carmine celebra-
darum desiderio accensus sum; at eo
carminis genere, quod cantui aptum ef-
fet & facile, quodque per arva læta so-
lemni pompa spatiantes exhilarare posset,
& ad pietatem excitare. Hujusmodi er-
go carmen à me editum est, quod &
piis auribus placuit, & inter sacras pre-
cations acceptum est ex mandato Epi-
scopi; & cum ad Templum illud solemni
pompa procederetur, concini jam inde
solitum morem hunc tenuit piagens per
mul-

i An. 1669.

multos annos: quem postea intermissum
ut revocaremus, neque hoc nostri adver-
sūs sacram Virginem cultus & reveren-
tiæ monumentum pateretur intercidere,
in tabula marmorea curavimus insculpi,
& intra ipsum Sacellum ad parietem affi-
gi. Quod ut illic, ita hīc quoque ob-
Lectorum oculos visum est repræsentare:

*Diva Servatrix, bona Bajocani
Litoris custos, prece quæ rogantum
Non gravis steti, mala Cadomæis.*

Finibus arces:

*En cliens sacras tuus hic ad aras
Accidit pronus, meritosque dulcem
Increpans plectro citharam sonante*

Dicit honores.

*Horruit fœta tua nactus arvo
Pastor effossa simulacra terra,
Agna cui simplex praedit latensis*

Numinis index.

*Vngula terram fodiens bisulca
Fertur obstipos tenuisse vultus
Immemor prolis pecus, & virentis
Immemor herbae.*

*Proximis circum studioſa campis
Advolat pubes, rigidus colono
Ponitur vomis, labefacta linquit
Fugera fossar.*

In-

*Inter arentes resupina glebas,
Læta contingi manibus piorum, &
Floribus spargi patiens odoris
Prosternat imago.*

*At bonus tandem precibus Sacerdos
Rite conceptis sterili jacentem
Erigit campo, stabilique celsam
Sede reponit.*

*Hic tuo pendent capiti corona,
Hic tuas flammis adolemus aras;
Hic odoratos tibi dant Sabaea
Thura vapores.*

*Tu maris fluctus rapidos Britanni
Nutibus rectrix moderaris æquis;
Te procui summa pavidus salutat
Puppe magister.*

*Littoris compos, dubiisque nauta
Te canit functus pelagi periclis,
Et coronatos decorat tabella
Supplice postes.*

*Aridos per te rigat imber agros;
Imminens per te segetes adultas
Transvolat grando, tumidisque nutat
Merges aristis.*

*Ad tuum tendens pia turba limen
Oppidis exit bene feriatis,
Frigidae vernis ubi mitigantur
Solibus auræ.*

Flo-

COMM. DE REBUS &c. Lib.IV. 261

*Floridis lentè spatiata campis
Pompa dum procedit, Io triumphē,
Plebs canit; lāto præit ore sacra
Verba Sacerdos.*

*Luciae valles Doveræque circum
Adsonant saltus, viridesque ripæ;
Rupibus longè latitans marinis
Adsonat Echo.*

*Flamines festis operantur aris:
Hinc & binc supplex tibi languidorum
Turba procumbens onerat piis al-
taria donis.*

*Tu salutari relevas jacentum
Arte languores; oculis tenebras
Pellis indulgens, & iniqua lingua
Vincla resolvis.*

*Per recurrentes revoluta febris
Temporum lapsus, fugit inquietis
Protinus membris, fugit æstuanti
Aëre pestis.*

*O parens Nati, sobolesque Patris,
Sive stellato dominaris axi,
Altior nimbis, & agente mense
Altior astro:*

*Seu polo lapsam mage Cadomæa
Arva delectant, resonumque propter
Littus aurato tua Templa gaudes
Visere curru:*

Flo-

*Nostra devoto tibi cunque Musa
Serviet plectro, tibi nostra serpet
Laurus æternis veneranda circum
Tempora ramis.*

*Laus Deum vivax maneat parentem:
Natus extento celebretur ævo;
Spiritus longis adolescat ingens
Gloria seclis.*

Coniunctus erat mecum etiam tum Se-
græsus intimo familiaritatis usu: &
quamvis diversa planè nobis esset ratio
studiorum, cùm ipse extra Gallicæ poë-
ticæ fines non prodiret, me verò exer-
ceret aliud genus literarum, consentiens
erat tamen in reliquis voluntas, & par-
animorum coniunctio; ut ne suspicaret
quidem ullam omnino intervenire un-
quam posse caussam discordiæ. At in-
tervenit tamen, me quidem inscio &
invito. Jurare enim possum quolibet
sacramento, persanctè me coluisse ami-
citiam nostram, nec ei usquam defuisse.
Attamen in quotidiano vitæ usu frigidè
mecum agere hominem tum primum
sensi præter solitum; deinde etiam dissimulanter,
nec pro consueto candore;
asperè quoque nonnunquam & duriter;

ac

ac denique contumeliosè ; ¹ ut ne in me-
dio quidem gravissimorum hominum
concessu aliquando atrocibus maledictis
in os mihi ingestis abstinuerit : meque
ita saepius lacessitum ne verbum quidem
reposuisse , testes habeo cordatos viros,
quos vehementer offendit tam effrænis
petulantia. Quamvis autem totum se
jamdiu ab amicitia mea se averterat,
exstabat tamen inter nos aliqua pristinæ
nostræ necessitudinis species , comitate
quadam conjuncta , & sermones non
nunquam de rebus literariis cum erudi-
tis amicis miscebamus. Cumque inci-
disset aliquando controversia de Virgi-
lianorum versuum ² sententia , quibus
Ægyptum ait Poëta urgeri viciniâ Per-
fidis , & fæcundari ab amore devexo ex
India , Nilo scilicet : cumque locum
hunc luxatum & meadowsum esse conten-
deret Segraeus , ac vanis etiam conje-
cturis fretus interpolare auderet ; ego
contrà integrum esse affleverarem , pla-
numque & intellectu facilem , si modò
perspecta esset Veterum de ortu Nili
opinio , qui in India oriri cum , & ex
ca

¹ An. 1670. ² Georg. lib. 4. vers. 287.
& seq.

ea in Ægyptum profluere , falsò quidem , at pro certo tamen & constanter arbitrati sunt ; tum ille verò vehementer excanduit , parùm æquo animo ferens , futilium opinionum suarum vanitatem coargui , palamque fieri quām parum illi facultatis esset & instrumenti ad explananda Veterum scripta ; ac multò etiam minus ad ea , si res postularet , in integrum restituenda.

Biennium totum abfueram Cadomo , meque in patriam revocaverat recula mea familiaris , & molestæ potissimum lites , quibus perdiu sum miserè conflctatus . Tunc autem post longam absentiam magnis fueram gratulationibus exceptus publicæ Academiæ , quæ mihi altera parens & altrix fuit . Vna adfuit magnum ejus ornamentum Henricus Hallæus Antecessor , Antonii frater , quem Juris Antistitem , haud secus quām Servium Sulpitium merito dixisses , & in cajus exhedra primis fueram pertinentis ad leges scientiæ elementis institutus . Cūmque ille prima hac adolescentiæ mæstria studia mihi revocaret in memoriam , Ecquid verò , inquit , membristi disputationum illarum , cùm tu

pu-

publicè responderes de Jure Pontificidò & Civilì , dignusque visus essem , qui non in Lytarum modò & Prolytarum subselliis , sed in nostris quoque cathedris consideres ? Adeò mihi , inquam , non excidit vestrum istud tam honorificum de me judicium , ut mirer potius me mei decoris tam parùm fuisse studiosum ; qui non aliquid optaverim publicè existare voluntatis in me vestre & gratiæ monumentum . Quamobrem nunc tandem rego vos , ut pro more in Academiis recepto , quæ tum neglecta sunt à me , nunc consequar favore vestro , certisque diplomatis appareat testificatio disputationum illarum , quæ , si ita res ferat , uti possim . Id verò ab iis & libenter & liberaliter praestitum est . Inde adeò inter Jurisconsultos locum tenui , & in illustre faum quoque honorariorum Juris Doctorum Collegium adscivit me Parisiensis Academia . Professorio munere tum in ea fungebantur Johannes Doujatius & Petrus Hallatus , disciplinâ Juris pereruditus uterque , & antiquitatis notitiâ exultus , ac poëtica etiam facultate clarus , quos passibus acquis sequebatur Collega , Juris quoque

M

pc

peritissimus, municeps noster, & amicus summus, Michaël Delæus.

Fervebant tum maximè, non doctorum solum hominum, sed potentiorum etiam studia in comparandis veteribus numismatis, ad eaque eruenda, colligenda, & grandi etiam pretio redimenda, indagatores passim submittebat clarissimus Colbertus, quibus ut armarium locupletaret regium, suosque ipsius loculos refereciret. Memineram autem vidisse me olim Cadomi non spernendam hummorum hujusmodi, nec deterioris notæ congeriem, apud quosdam tenuis fortunæ homines hæreditate reliquam. Quod ubi Colberto per me innotuit, dedit operam id ut pretio comparatum, integrum, nec ulla parte imminutum, bonaque fide ad se perferendum curarem. Tametsi autem omni adhibita diligentia præstare id conatus sum, vigilaniam tamen meam elusit subdolorum hominum perfidia, à quibus clam subrepta fuisse compéri rariora numismata; etiam quæ vidisse me cum aliis & correctasse recordabar. Quamobrem Colbertum adiu, ac significavi, quoniam per imprudentiam meam & incognitiam

tiam os mihi sublini passus essem, æquum esse ut poenas ipse luerem supinitatis meæ, & quodcumque illud esset numismatum servarem in meos usus, premiumque pactum de meo persolverem. At conditionem non accepit Colbertus, damnumque in se cum numismatibus recepit.

Dabat tum literis operam Serenissimus Delphinus, & Præceptore utebatur Picarto Peronio. Is ex Præside Inquisitionum Parisiensis Senatus adscitus est ad id munus literatorium, cùm regendat ejus adolescentiæ moderator accessisset Montauzierius, sœpe jam à me appellatus. Utque ab annis aliquot propensam in me voluntatem, multis modis significaverat, tunc ejus apertiùs testificandæ occasionem nactus, minimè ei do- fuit. Cùm enim Rex, ad meliorem Delphini filii institutionem, adjungen- dos censuisset quotidanos literatorum hominum congressus, ut circumsona- rent pueri aures sermonibus eruditis, meque ad id munus assimi voluisset, Regis propositum consilio suo confir- mavit Montauzierius, reique exsequenda

M 2

I Ad. 1669;

curam in se recepit. Qua re intellecta, vehementer commotus Perinius, venit ad Montauserium, factam sibi fraudem querebas, quæsitum sibi ac paratum æmulum, dictorum suorum omnium infensum observatorem, ac fortasse etiam obtrectatorem. Has suspiciones dimovere quidem blandis verbis nitebatur Montauserius; parùm illi perspectum esse meum animum, meosque mores, placidum esse me & commodum, non morosum, non litigiosum; seque facilitatis mæ, futuræque inter nos concordiaæ sponsorem dare. Pertendit ille contrà, se jam expertum quid sibi esset à me cavendum, certò sibi compertum esse primariæ dignitatis viros & feminas, Colbertum in his, & Mariam Rohanniam, Claudio Lotharingo, Capreosiæ Duce, marito suo viduatam, secretò quidem, at enixè tamen, in se ejiciendo, meque subrogando laborasse; jam tunc cognoscere se, easdem sibi denuo, sed aliâ viâ strui insidias, at nihil certe tale expectasse se à Montauserio, quem rebus suis favere putasset. Hujusmodi tandem exprobrationibus vixius Montauserius, confert se ad Regem, exponit
yuc

que invitus, nec Peronio mecum, nec mihi cum Peronio facile convenire posse, verique se ne hæc animorum dissensio Serenissimi Delphini institutioni sit obfutura. Verum quod præpostoræ Perinii interpellaverant querelæ, id ad exitum ejus tandem obitu pervenit. Paucis enim post mensibus quam hæc erant acta cum fato concessisset, subrogando in demortui locum Praeceptoris ea ratione consultum est, quam mihi privatim referentem Montauerium saepè audivi, quæque hic, ut rerum ordinem pro instituto sequamur, exponenda est.

Narrabat ille exstincto Peronio, negotium sibi à Rege datum, ut de aliquo sufficiendo cogitaret: sibi verò tum præcipue propositum fuisse eò Regis animum sensim inflectere, ut sponte sua me in hunc locum cooptaret; se quidem contexuisse indicem eorum omnium qui ambirent id muneris, suaque nomina ad Regem deferri postulassent, quæ centenarium propè numerum exæquarent: Regi legendum deditisse indicem hunc, nullo prætermisso; tum ad eorum subjunxisse nomina, qui hanc sibi quidem

M 3. non

I An. 1670.

non depoposcerent provinciam , at eā tamē maximē viderentur esse digni ; singulorum prædicatōe virtutes & merita ; & in hunc denique sermonem suam conclusisse sententiam , Nunc si quærat ex me Majestas tua , quem ex his potissimum alijs anteferendum censeam , tres omnino excerptam ex hoc numero , muneris hujus functioni præ cæteris , uti mihi quidem videtur , idoneos , Menagium , Bossuetum , & Huetium , quos inter statues pro tua sapientia , cuinam priores partes sint deferendæ : quibus dictis spatiis aliquod sibi sumfuisse Regem ad deliberandum . Atqui , inquit Montauerius , res à me cò fuerat deducta , cùm præviderem rejectum iri Menagium , Regi vix de nomine notum ; nec admissum iri putarem Bossuetum , cuius ætas omnis vel in Theologorum contrita fuerat subselliis , vel in sacris concioniibus ad populum habendis , inexercitatum verò ad studia humanitatis , quo- rum vel tum maximē ad instituendum Delphinum usus erat ; ac futurum properea ut in te præ aliis diligendo judicium Regis acquiesceret ; præsertim cùm paucis abhinc mensibus functioni huic

huic adhiberi te & admoveri voluisset; verum, inquit, aliter res cecidit ac speraverat; cum enim Bosluetus, vir eloquentissimus, saepissime, nec multò ante id tempus Régis aures delinivérit differtis concionibus, ejusque voce totius Aulæ parietes etiamnum personent, facile eò adductus est Rex, ut illi demandaret provinciam hanc; sed ita tamen ut succenturiatus ei adjungeris.

Agebam tunc Cadomi, nondum planè recreatus ex acutissima febri, gravissimisque intestinorum doloribus, ex redundantis ac fermentescenis bilis consumacia ortis. Accitus ergo urgentibus & crebris Montauerii literis, professionem meam tantisper procrastinandum censui, dum confirmarentur vires, & Bibliothecam meam ac domesticum instrumentum omne compingerem in fasces, quos mari committerem, ut per Sequanæ ostium adverso flumine Lutetiam deveherentur. Cadomum enim ad hanc diem præcipua fuerat ac nativa sedes rerum ac studiorum meorum; & quoniam in alia excurrerem loca, illic

M 4 ta-

I An. 1670.

tamen certum & constitutum haec tenus
habueram domicilium atque larem. Nec
diu tamen discessus meus protractus est;
atque ubi Sangermanum veni, consula-
tato Rege, Delphinum ipsum decum-
bentem offendit ex morbo, leviculo qui-
dem, at pertinaci & diuturno. Hæc
contigerunt sub autumnum anni septua-
gesimi supra sexcentesimum & millesi-
num.

LIBER QUINTVS.

IN Aulam adventanti mihi, & in Delphini familiam & comitatum adscito, nihil potius fuit, quam ut Serenissimo Aurelianensium Duci, Regis fratri, aliquaque regiae stirpis Principibus debita officia exhiberem; in primis vero Ludovico Borbonio, Principe Condæo, quem pro merito suo verè Heroem dicere possis, non ob inusitatam modò fortitudinem, & invicti animi robur, resque bello præclarè gestas; sed & propter sublimis ingenii præstantiam, singularemque in omni penè genere literarum eruditionem. Sic enim erat, quod nec ex primo ejus aditu & congressu conjectiles; adeo innatam virtutem modestia obsepiebat. Accedebat infinita sciendi & discendi cupido, quam alebat continua lectione librorum omnis generis. Libenter hic equidem commemoraverim, quod & ad laudem meam pertinere duco; statim atque prodidit in lucem post annos aliquot *Demonstratio mea Evangelica*, tanta aviditate M 5 fuisse

fuisse ab eo arreptam atque lectam , ut
infra dierum septemdecim spatum to-
tam devorarit ; nec ita tamen ut res de-
libaret properanter , leviterque perstrin-
geret ; nam & totius Operis formati &
partes singulas perlustravrat attentè , &
accuratè perceperat ; multaque super iis
quæsivisse à me & rogitasse , ut mirarer
tam expeditam in eo animi solertiam &
sagacitatem.

Jucundissimum mihi tum fuit munu-
scula accipere ab illustrissimo Principe
Leopoldo Medice Cardinale , quicum
ad hanc diem nullus mihi usus interces-
serat ; Libellos nempe duos , quorum al-
tero continebatur descriptio exequia-
rum , quæ Ferdinando ipius fratri fue-
rant celebratae ; altero observationes
quædam Francisci Redii , ad rem phy-
sicam pertinentes . Gaudebam imprimis ,
cùm agnoscerem eam gentem , quæ ex-
stinctum per Europam amorem in lite-
ras , & benignitatē in Literatos prima
fuscitavit , obtinere nunc etiam morem
pristinum , studiososque homines bene-
volentia sua & beneficiis decorare .

Iisdem forè temporibus veniebat ad
me Lantinus Senator Divionensis , bo-
narum

narum artium scientissimus, qui tum agebat Lutetiae; cùmque frequens nobis sermo esset de Salmatio, penes se esse dixit Libellum ipsius *De homonymis plantarum*, qui nondūa prodierat in lucem; ac compotem quoque propediem se futurum vitæ Salmasii à Lamario Senatori itidem Divisionensi scriptæ; me verò, qui Salmasium novissem olim familiariter, nonnihil ad Operis hujus absolutionem conferre posse, vel monendo, vel docendo, vel plurima refendō, quæ Lamario ignota, aliis observata non essent; petere itaque à me Lamarium, ut scriptiōem suam mitti ad me paterer, quam perlectam emendāfem, si ita res ferret, vel novis accessionibus amplificarem. Ad ea postquam libenter annuere me dixi, missa statim est ad me Salmasianæ vitæ historia, quam recognitam multisque adauctam incrementis remisi ad Lamarium, cuius in sciniis sepulta ad hanc diem jacuit.

Hoc ipso tempore ad aliquam secum jungendam consuetudinem benignè me invitavit Harduinus Perefixius, Archi, episcopus Parisiensis. Accepi conditionē perlitter, ad eumque sine mora

ra me contuli. Nec diu tamen oblatio beneficio frui potui; dum enim ille hæseret Lutetiæ, jactabar ego Aulæ fluctibus, & ab urbe ferè abstrahebar: nec multò pòst fato ipse concessit. Successorem is habuit Franciscum Harlæcum, ex Archiepiscopatu Rothomagensi illuc translatum, cum quo mihi vetus intercesserat notitia, ex quo mihi admodum juveni tonsuram contulerat Ecclesiasticam.

Vehemens enim me tenebat cupiditas studia mea ad Religionis Christianæ vel ornamentum vel tutelam referendi; quod et si aliquatenus præstare poteram, si Originianorum omnium Operum suscepptam absolvissimam editionem, jam inchoatam & affectam, nec infelicibus auspiciis in vulgus emissam; consilium tamen id omne abjeceram, quippe nec sperati suppeterabant codices antiqui, & si verum proloqui fas est, deterrebat me obscuri laboris magnitudo, malebamque in minutis observationibus, & vili variantium lectionum auctoratio, ab aliis quam à me humilem ac penè servilem operam collocari; cùm præsertim ob-

ver-

C. An. 1656.

versaretur animo splendidior quædam forma operis, & Christianæ rei, uti quidem rebar, promovendæ longè utilior. Dum enim attenta & diurna meditatione argumenta omnia, rationes, probationesque diligenter circumspicerem, quibus stabiliri & confirmari posset Christianæ Religionis veritas, viam quamdam opinabar iniri posse, novam illam quidem, & à tritis orbitis semotam, at certam tamen, simplicem, aper tam, & directam, quā demonstraretur eadem veritas; atque haud minus exploratam, compertam, & indubitatam, quā sunt probationes & epicheremata Geometrarum, qui jactant se non persuadere, sed cogere. Atque hanc cogitationem, grandem oppidò & seriam, vel tum maximè volvebam in animo & coquebam, cùm Serenissimi Delphini institutioni admotus sum^{1.} Nec mihi videbar profectò utrique officio commode satisfacere posse; hoc enim assiduam postulabat & actuosam operam, illud meditationem tranquillam, continuam, nec interruptam. Magna præterea adhibenda copia librorum, evolvendi facro-

M. 7. rum

^{1.} An. 1670.

rum Codicum Interpretes , Patres Ecclesiæ , rerum divinarum & profanarum Scriptores , antiqui & recentiores , consulendi , & inter se conferendi . Quibus vel collocandis & disponendis in privatis regiarum domorum habitationibus spatum deerat ; tempus verò evolvendis , quod totum Principis studiis & aulicis officiis debebatur . Quibus incommodis occurri posse speravi summâ diligentia , magnâque temporis parsimoniâ . Quamobrem sic decrevi in animo meo , nullas sinere omnino mibi perire horas ; ne eas quidem , quæ aliis vacuae esse solent , frustraque conteri , velut infaciendo itinere , vel in somno conciliando , vel statim à somno , cùmque surgens ē lectulo sumerem vestes , vel cùm quieti me tradens eis dépônerem . Præstò enim tunc erant pueri anagnostæ ; nam in famulatum apud me illiteratus admittebatur nemo . Sæpiissime præterea post præstitam per diem Delphino operam , furtim sub noctem , etiam obortis aliquando jam tenebris , omni festinatione properabam Lutetiam , illicque magham noctis partem , in Bibliothecæ adeundis & pervolvendis libris ,

bris , locisque librorum exquirendis & excerptendis consumebam , & sub diluculum remeabam ad Principem. Atque hic labor totorum decem annorum fuit , cum interea ad Aulæ jactationem componendum esset vitæ genus inquies , saepe mutandæ sedes , crebra suscipienda itinera , varia adeunda & percurrenda loca. Existimet Lector literarum amans , & studiis deditus , quam facile sit mediis illis in fluctibus & tempestatibus rerum , inter diurnos nocturnosque strepitus , animum instituere ad seriam & accuratam commentationem , quæ ex serena mente deducenda est. Quæ quamvis difficultates opinione majores erant & operosiores , affidua tamen contentione & pertinaci studio res ad exitum perducta est. Utque Opus in usus suos elaboratum , & nomine suo prætextum , fibique à me oblatum accepit Serenissimus Delphinus , testem ipse quoque industriæ meæ & approbatorem esse optavit Regem ipsum. Quamobrem me ad eum deduxit continuò , ab eoque manus meum de manu sua suscipi voluit . Haudquaquam præterire silentio possum , quod tum mihi non sive stupore cogni-

cognitum est de Philippi Mornæi Plesiaci ingenio & doctrina. Postquam enim Christianæ Religionis veritatem demonstrare sum aggressus, constitutum fuit apud me, nullum omnino ejusdem argumenti Opus, sive veteris sive recentioris ævi, inaccessum inexploratumque prætermittere. Multum præcipue lucis & subsidii speraveram ex Philippo Mornæo, qui satis luculento Libro eamdem materiam sibi sumserat illustrandam. Deus bone, quām falsa & inani spe productus sum! Verè enim pro thesauro carbones reperi, ut est in veteri proverbio: vanas argumentationes & futilis; testimonia Veterum temerè collecta, vel perperam intellecta, vel mala fide sublecta; errores infinitos: ut liquidò compertum mihi sit, alienā eum instructum doctrinā accessisse ad has tractandas literas; alienā quoque operā & legisse libros & scripsisse; & jam inde mirari desierim, tam patentem reprehendendi sui, palamque coarguendi & convincendi ansam Cardinali Perronio cum præbuuisse.

Addam & illud quoque, quod mihi *Demonstratio Evangelicae Opus* medianti

tanti contigit. Cùm de eo differerem inter amicos, reique à me susceptæ consilium, formam, & argumenta candidè expromerem, furtim ea ex ore meo excepta subinde & subiecta, in Libelli speciem edita prodiisic, quo apparebat expressa planè Operis nostri forma, & in angustum contracta: ab hominibus scilicet inventionis laudem sibi furtim arrogantibus.

Nec multo pòst tempore idem argumentum de Veritate Religionis Christianæ sibi tractandum proposuit Claudius Fraseniæ, ex Ordine Franciscanorum. Vix enim credibile est, quàm multos ad sacrosanctæ fidei nostræ patrocinium suscipiendum, velut dato signo, accenderit scriptio nostra. At ille parùm omnino rei, quam moliebatur, intellexit magnitudinem ac momentum; quámque tenuiter & æstivè esset ad hoc iter viaticatus; quam leviter exercitatus in sacrorum voluminum tractatione; quámque exigua ac penè nullâ Ebraicæ Linguæ & Antiquitatis peritiâ tinctus. At cùm paratam sibi videret in Opere nostro fatis amplam instrumenti hujus copiam, eam sine pudore suppilare ag-
gres-

gressus est; non sententiis parcens, non rationibus & argumentis, ac ne ipsis quidem verbis, quin ea pro suis usurpata haud cunctanter venditaret. Contumelias tantum addidit de suo, fraudem hac arte cautè dissimulatam iri putans si proscinderet eum convitiis per quem profecisset. Quibus ex rumore vulgi intellectis, officii sui esse duxit illustrissimus Archiepiscopus Parisiensis Franciscus Harlaeus, accersitum ad se Frassenium castigare verbis, & ad me mittere, qui culpam deprecaretur molli excusatione, offensionemque nostram purgatione leniret. Quod & ab eo factum est. Nec sequiori animo rei indignitatem tuli^t Benignus Bossuetus Episcopus Meldensis, cum Opus approbatione sua, aliorumque Episcoporum, & elogis munatum & ornatum, palam reprobatum cerneret. Asperrimis itaque verbis increpitum Frassenium admonuit erroris sui, retrusumque in Claustrum intra angustias suas rededit.

Atqui non sponte, nec ex sua ipsis sententia res ab eo attentata est, sed instigante Ludovico Ferrando, eo qui sacros Davidis Psalmos Commentariis post-

postmodum explanavit. Nam postquam Christianæ Legis veritatem & sanctitatem scriptis tueri exorsus sum, ille, quasi in suam possessionem venisse, nullam nominis mei, vel clam, vel aperte oppugnandi, & aversi animi significandi finem fecit, cum nos sua eum protervitate & malignitate frui facile sineremus.

Postquam venit Opus nostrum in manus hominum, contulit se ad Michaleatum Librarium Richardus Simonius, in Voluminum cum aliorum omnium, tum præcipue ad res Ecclesiasticas pertinentium, tractatione & dijudicatione Criticus longè peritissimus, si ingenio suo moderari scivisset. *Demonstrationem* ille meam calculo suo approbare se pati profeffus, eam quoque dixit velle se in epitomen contrahere. Gavisus sum enimvero vehementer, contigisse mihi egregium cogitationum mearum cognitorem & spectatorem, in hujusmodi commentationibus longo usu subactum, qui scriptionem meam fusciperet recudendam in brevitem formam, qualem à multis desiderari sciebat; atque cum sibi laborem imponeret, ad quem demittere mentem meam nullo modo possem,

sem, ut velut fœtum cumdem bis parturirem. Verùm longè alia agitabat animo Simonius: interpolare enim, reconquere, dissecare membratim, & ad usus suos cogitabat accommodare Librum meum, & suum planè facere. Quæ cùm intellexissem, rogavi per Michaleatum, mea omnino ne attingeret, suis sc contineret.

Verùm, quod satis mirari non possis, dum ad pios sanctosque usus suscepimus Opus oppugnatur à conterraneis meis, Catholicæ Religioni addictis; perfertur ad me contrà probari illud atque laudari apud exteris gentes, etiam à sancta Ecclesia alienas. Quod & satis indicabant iteratæ variis in locis editiones. Cùm illud verò à fratre ex Germania ad se in Sueciam missum accepisset Samuel Puffendorfius, qui tum erat Ulricæ Leonoræ Reginæ ab epistolis, non id solùm vehementer sibi placuisse magnificis verbis declaravit in luculenta sua ad fratrem responsione, sed spem etiam majoris emolumenti sibi affulgere, dirimendarum nempe dissensionum & controversiarum, quibus miserè vexatur Ecclesia, si modò eadem adhiceretur ratio,

tio , quâ ad demonstrandam Religionis Christianæ veritatem usus sum : & multum quidem ex pristinis suis odiis & pervicacia remisisse boreales illos animos, paratosque videri ad æquas pacis conditiones subeundas. Atque hæc sanè epistola, non tam ad Puffendorfium fratre, cuius præferebat nomen , quam ad me scripta videbatur. Quamobrem eam ad me mittendam tradidit amico meo summo Marchioni Fuquerio , qui tum Christianissimi Regis nomine legationis munus obibat apud Regem Sueciæ. Scripsit & ipse ad me in eamdem sententiam Fuquerius ; atque item ad Benignum Bossuetum ; & magnopere adhortatus est utrumque nostrum ; hunc, ut ad capessendum laborem illum me incitaret ; me vero , ne suadenti reluctarer : nec repugnasse sanè , in re præsertim & pia & admodum utili , nisi discordium inter nostrates animorum tumor , omnem sopiendi dissidii viam præclusisset. Ac ego sanè præclaro huic atque sancto proposito , non studiorum modò temporisque mei partem aliquam, sed vitam etiam , quam longa esset, totam libenter impendisse.

Dum

Dum huic Operi *Demonstrations Evangelicae* incumberem, succrevit aliud, laboriosum ipsum quoque & diuturnum, ac studiosæ juventuti perutile, cuius laus omnis atque fructus auctori & inventori debetur Montauferio¹. Nam cùm à prima ætate priscos Auctores Latinos lectitasset diligenter, lectionis suavitatem & attentionem animi duabus potissimum difficultatibus interpellari solere querebatur; quarum altera oriretur ex verborum & elocutionis obscuritate, altera ex ignoratione rerum antiquarum; nec facile libi fuisse ad bella proficisci enti Commentariorum mole sarcinas onerare, ideoque inter legendum saepè se ad geminum hunc obicem adhæsisse; qui si removerentur, jam proclivem fore & facilem veterum Scriptorum intelligentiam, atque adeò studiosorum commodis præclarè consultum jiri: quamobrem vehementer optare se, neque adhortari, ut in curam hanc vellem incubere, & eruditos aliquos homines feligere, qui veterum Scriptorum, quos Gellius appellat, interpretatione & notis in usum Serenissimi Delphini illustrans.

¶ An. 1672.

² Duke de Montaufer. See Voltaire's
Age of Louis 14th Vol 2 - 296

strandorum negotium in se reciperent; invitandos eos esse, non tanquam mercenarios soldati & illiberalis quæstus auctoramento, sed honorariis propositis præmiis, quibus expendendis certo sperare se non defuturum magnanimum Regem, suamque se ad id operam & interventum polliceri. Quæ cùm audissem, Etsi, inquam, paratum mihi labore infinitum præsentio, magnumque temporis dispendium, nusquam tamen deero, vel Principis nostri commodis, vel publicæ utilitati. Quoscuraque ergo in studiis humanitatis optimè versatos, & in veterum Auctorum lectione exercitatos, vel noveram ipse, vel ex aliorum relatu audiveram, accersivi, sigillatim iis explicavi propositum opus, & ad suam Serenissimo Delphino commendandam operam satis quidem per se animatos strenue excitavi. Atque ea sanè æquis accepta sunt animis, & ut in rem abjecta omni cunctatione conferrentur, valde eos sum cohortatus. Ergo decimo - quinto quoque die recurrebam Lutetiam: conveniebant illi statis horis apud me; pensum suum exhibebat unusquisque, mihiique cognoscendum, estimandum, dijudicandum proponebat. Quod

Quod verò singuli Auctores suis prodierunt succincti Indicibus, non vulgaribus illis, qui eximias tantum res aliquas aut verba, sed quæ vocabula omnia universè repræsentant, me uno auctore factum est. Jampridem enim rei utilitatem magno meo commodo fueram expertus, in iis pertractandis Indicibus, qui ab eruditis hominibus in Græcos Romanosque Auctores fuerant concinnati, à Wolfgango Sebero in Homerum, à Daniele Pareo in Masæum, à Nicolao Erythræo in Virgilium, ab Horatio Tuscanella in Catullum, Tibullum & Propertium, ab eodem Pareo in Lucretium, à Thoma Trettero in Horatium, à Josepho Langio in Martialem, Juvenalem & Persium, à Pompejo Pasqualino in Ovidii Metamorphoses, alios ab aliis. Imprimis verò longo compereram usu, quantum emolumenti percepissent viri sacrarum literarum studio dediti ex iis Indicibus, qui sub Concordiarum titulo in Ebraica, Græca, & Vulgata sacrorum librorum exemplaria lucubrati circumferuntur; ac propterea si in Scriptoribus saltem Latinis latius pateret ea ratio, quæ tractabiles

efficit Auctores, & ad usus nostros accommodat, opportunum hoc futurum iis iudicabam, qui in literis versantur. Sed & aliud quiddam longè majus in his parandis volvebam animo, nempe puræ Latinitatis finium ac veluti pomœriorum circumscriptiōnem. Quæ cùm omnis Scriptorum classicorum contineatur libris, si unicuique suus subjungeretur Index, quo continerentur universa ipsius vocabula; tum deinde ex singulorum privatis Indicibus generalis conflaretur Index, futurum id erat totius Latinitatis integrum penū; & quidem ita compositum, ut quæcunque se vox offerret, ejus ortum, usum, interitum, vel progressum, Indicis hujus generalis ope, facile cognovisses. Verum rem à multis probatam & expeditam nonnulli, præter exspectationem meam, vehementer aversati sunt, ipsi videlicet Commentariorum opifices, ingrati quippe laboris magnitudine deterriti; tum & Librarii sumtus & impensas veriti, quos aut incertum, aut non satis grande lucrum sequeretur. Sed pervici tamen, nec destiti

*Aere ciero viros, Martemque accen-
dere cantu,*

quoad de Serenissimi Delphini ntu-
piis agi cœptum est. Tunc enim con-
ticuerunt literæ illæ aulicæ, quarum
impensa plusquam ducenties mille libris
steterunt. Quamvis autem omnis à me
adhibita est diligentia in scilicet perspec-
tive tantum doctrinæ viris, quibus
veterum Auctorum commentarius in-
struendorum cura demandaretur, non-
nulli tamen vel levius quam putabam
tauti literis, vel impatientes laboris,
quam mihi commoverant exspectationem
sui fecellerunt; quid enim dissimilem?
adeò ut nequaquam par fuerit Operaria
omnium dignitas. Nec mirum sàe in
hunc juvenum numerum, tum primùm
suam pericitantium industriam, irre-
pissè nonnullos ex inferiori Eruditorum
gradu, qui ea se posse docere alios cre-
derent, quæ nondum satis ipsi didicis-
serat: nimio plus enim arrogare sibi æta-
tis hujus vitium est.

Quamvis autem in toto hoc negotio
cas tantum in me receperam partes, ut
ope-

operis essem procurator & ἐργοθέτης
 non & operarius, eò tamen sensim ipse
 quoque delapsus sum. Cùm enim Mi-
 chael Fayus, qui Manili interpretandi
 curam susceperebat, hæreret sæpe in obscu-
 rioribus quibusdam locis, nec facile in-
 de Scaligeranarum Notarum ope se ex-
 pediret, ad me recurrebat identidem,
 quem sciebat Poëtam hunc legisse olim
 diligenter, multaque in privatos meos usus
 ad oram Libri mei allevisse, quibus &
 Auctoris illustraretur doctrina, & infi-
 niti Scaligeri errores coarguerentur. Sic
 enim ex me sæpe audierat, cùm dice-
 rem non in alio ullo Opere tam intole-
 ranter se jaestasse Scaligerum, tantum
 captasse laudis, cùm solum se veteris
 Astrologiæ peritum esse soleret gloriari;
 adeò ut morti proximus, & extremum
 propè dicens spiritum, de Manilianis
 suis hypomnematis cogitaret, & tamen
 ferè expertem fuisse antiquatæ hujus &
 desuetæ cœlestium motuum, & ex eo-
 rum notitia futurorum eventuum prædi-
 candorum doctrinæ. Postquam igitur
 ex observationibus codicis mei limbo ad-
 textis nonnihil lucis inferri posse sensit
 Fayus tenebricosis Manili Præceptis;

quæ explicatus haberent difficiles, enixè contendit à me ut excerptas eas colligerem, collectas exponcrem & confirmarem argumentis, atque ita paratas per me sibi liceret Operi suo adjungere. Quod cùm ego aliis studiis implicitus ac penè immersus præfractè abnucrem, deprecatorem adhibuit Montauserium, cuius summa erat apud me auctoritas, atque ita expugnari me denique passus sum, & quod postulabatur impetrari.

Inter eos, quos priscis Auctoribus illustrandis adhibui, partes suas desiderari passa non est Anna Fabra, tum primum exorta è Tanaquilli patris disciplina, nunc viri sui Andreæ Dacerii, bonis artibus egregiè exculti, consiliis, in literarum tractatione feliciter utens. Nec illa intra Flori, Aurelii Victoris, & Dictys Cretensis Commentaria continuit industriam suam, sed majoris etiam ab ollæ Opus aggressa est, Callimachi editionem multis particulis auctam, Notisque supra muliebris sexus captum eruditis exornavit. In fronte verò Operis existare voluit suæ adversum me obseruantiae monumentum, cùm honestissimis verbis exponeret causas, cur id in-

re-

nomine meo apparere voluisset.

Hæc veterum Auctorum commentariis explanandorum à Montauferio inventa ratio aliud quid ab eo excogitatum mihi revocat in memoriam, verè perelegans, & omni politioris amoënitatis suavitate respersum, & pro merito suo Poëtarum Gallorum carminibus celebratissimum, quod Juliæ fertum, sive corona florea, pervulgato nomine appellatum est. Tunc enim clarissimæ virginis Juliæ Angennææ Rambullictæ amore flagrans, conjugium ejus omnibus officiis, qualia amantium esse solent, ambiebat. Cùm instarent ergo Calendæ Januariæ, quo die munuscula ultro citroque missitare mos est, gratissimum puellæ futurum censuit, flores tam alieno anni tempore à se collectos, & selectos, & eleganter depictos recipere. In floribus autem eo picturæ genere exprimendis, quod *Miniaturam* vocant, hominem adhibuit, qui tum longè præcellere cæteris existimabatur. Singulis autem floribus sua subjicit Epigramma-ta, perarguta sanè & venusta, partim à se, partim à cultissimis ætatis hujus Poëtis, Capellano, Maresio, aliisque

multis amicis suis composita, quibus
Juliæ virtus, ingenium, forma, aliæ-
que eximiæ dotes prædicabantur. Ad ea
autem calamo exaranda Epigrammata,
Scribā usus est, cujus tanta erat hac in
arte præstantia, ut hodieque si quid for-
tè è manibus ejus olim emissum super-
sit, magno habeatur in pretio. Hæc
magnifice compacta, & intra sacculum.
Hispanicis pellibus odoratis, quarum-
magnus tunc erat usus apud homines
eruditū luxus, contextum recondita ad
Juliam missa sunt. Jam inde enim vero-
Juliæ Corolla valde celebrata fuit in po-
litiorum hominum circulis, nec quis-
quam fuit elegantioris ingenii vel vir,
vel femina, quæ non eam odorari, flo-
resque singulos cuperet perlustrare. His
autem deliciis carueram ad hanc diem,
ac sæpe fueram conquestus apud Mon-
tauserium, me penè unum ex ejus so-
dalitio suavitatis hujus deliciis caruisse.
Id ipsum autem aliquando expostulanti
mihi Julia Maria Sammauræa, clarissi-
mi Crussolii Ucetientium Ducis conjux,
Montauserii filia, cui tum fortè asside-
bam, ad aurem propius accedens, De-
sine, inquit, querelarum, cras voti fa-
ciam

ciam te compotem. Et fecit sanè ut fuerat pollicita ; deduxit enim me postridie in suam Bibliothecam , angustam illam quidem , nec valde numerosam , sed Libris plenam selectis & melioris notæ , eleganter convestitis & ornatis , ut est captus seminarum , quos ipsa in usus suos collegerat : tum Librum inde optatum depromens , En tibi , inquit , Juliæ Coronam : perlege , utere , fruere , dum ad te redeo , & ne quis te legentem interpellet , in hanc cellam conclu- dam te , si pateris , sub clavis custodia : ita in carcere meo captivus attineberis , quoad Sol occidat . Fuit autem captivi- tas illa quatuor horarum , natiisque omni libertate jucundior ; cum inter homines etatis illius urbanitate & ingenii soler- tia præstantissimos mihi viderer ver- fari .

Non ita multò pòst in Serenissimi Delphini familiam , Bossueti rogatu , adscitus est Geraldus Cordonæus , & Lectoris titulo decoratus . Frequen- tabat ille Cartesianorum conuentus , sa- tisque se credidit præceptis illorum im- butum , ut ea etiam alios docere posset . Itaque capita quædam doctrinæ hujus

sibi declaranda sumfisit, quod & ita prae-
sttit, ut eam propagandam, & assensu
suo tuendam, argumentisque firman-
dam videretur suscepisse, Libellosque
hoc fermento turgidos in vulgus spar-
sit. Hinc venit in notitiam Boslueti,
qui & ipse favebat his partibus, cœ-
tusque Cartesianorum cogebat apud se
statis diebus. At postquam Delphini
studiis admotus est Cordonæus, ani-
mum appulit ad scribendam Caroli
Magni historiam, quam velut illustre
benè agendi & benè regnandi exem-
plum ob oculos poneret regii pueri. At-
que hanc deinde historiam ad sequentia
tempora propagavit.

Iisdem diebus ex literis Cadomo ad me
scriptis cognovi diem suum obiisse Jaco-
bum Guervillam, municipem meum, &
à prima pueritia congerronem, sodalem
& amicum, virum pietate ac potius
sanctitate insignem: qui cùm domo no-
bili in re lauta & opulenta natus esset,
& ad primos in patria obtinendos digni-
tatis gradus à parentibus & agnatis de-
stinatus, elegit abjectus esse in domo Do-
mini, & Christi humilitatem vandomundi
splendori anteposuit. Ac rure pri-
mùm.

mùm angustæ Parœciæ , tum alterius
deinde Cadomi , rectionem in se suscepit;
totumque vitæ tempus curando gregi si-
bi commisso , pauperibusque sublevan-
dis liberaliter impedit.

Scriptum quoque ad me est oppetiisse
mortem Andream Grandorgæum , ve-
teri mecum devinatum amicitia , cuius
memoriam existare volui ad posteros ,
cùm fronti Operis mei *De Interpretatio-*
ne nomen ejus præfixi . Vix ille primas
senectutis metas attigerat , integraque
erat valetudine , quæ & diuturnæ vitæ
spem ostentabat , cùm novo morbi ge-
nere tentari cœptus est . Audiebatur in
somnis alta voce loquens , secumque
ipse longos conferens sermones . Quibus
excitati servuli , cùm illato lumine ro-
garent si quid se vellet , ille apertis oculis , ac renidens , nec expperrectus tamen ,
multa exquirebat ab iis , ipse ad quæsita
fatis commodè respondebat . Inde latens
in visceribus febricula deprehensa est ,
quæ paulatim ingravescens foras demum
prodiit , hominemque consumit .

Cùm lecto affixum die quadam deti-
neret Serenissimum Delphinum levis æ-
gritudo , nosque circumstantes jocosis

sermonibus conaremur languentem exhibilare, incidit fortè mentio de eo, quem aliquando jactasse ferunt Homeri Iliadem tam minutis literis describere, ut intra juglandis putamen infercire se posset. Quod cùm parùm credibile multis esset visum, ego contrà, & id potuisse ab aliis & tunc quoque à me etiam præstari posse pertendi. Ad dicti novitatem stupentibus universis, ne vanitatis suspectus essem, è vestigio rei fidem facere volui. Quartam ergo partem destraxi chartaceæ vulgaris plagulæ, & in angustiori ejus facie unicam descripsi linéam tam minuto charactere, ut viginti versus ex Iliade de promtos contineret: cuiusmodi lineas centum & viginti facile recipere possent singulæ plagulæ facies, quarum unaquæque quadringtonos Homericos versus supra duo millia esset admissura; ac proinde versuum in octo plagulæ faciebus adscriptorum numerus supra novemdecim millia esset abiturus, cùm tota Ilias ad centenarium numerum supra septemdecim millia non assurgat. Atque hæc ita fieri posse demonstravi unius lineæ ductu, unde reliquarum omnium, & qui in iis describi

bi possunt versuum numerus facile init
posset.

Magnum erat à longo jam tempore
inter Literatos nomen Johannis Georgii
Grævii, cùm exquisitâ partum doctrinâ,
tùm editis plurimis veterum Au-
ctorum monumentis, iisque potissimum,
quæ ad politiores literas pertinerent.
Impensè itaque sum gavisus, mihique
perhonorificum esse duxi, cùm huma-
nissimis suis & eruditissimis me compel-
latum literis, ad ineundum secum ali-
quod amicitiae commercium benignè in-
vitavit. Jucundissimæ postulationi con-
cessi gratissimo animo, cujus testificandi
nulla à me jam inde prætermissa occa-
sio est, ad Grævii usque interitum, qui
çis paticos annos contigit. Nec ita ta-
men apud me intercidere sum passus ex-
cellentis viri memoriam, quæ vigebit
integra, quoad ipse superero.

Dum studiis vacarem meis, meque
strenuè exerceret *Demonstratio mea Evan-
gelica*, assidua sanctorum voluminum
translatione, & attenta rerum sacrarum
meditatione, sentiebam novos pectori
meo subiecti igniculos, acrioresque ad-
moveri facies, quibus ab adolescentia

fueram pertentatus , & ad Ecclesiasticum vitæ institutum allectus. Tam benigno igitur tamque constanti Dei ad suas partes me pertrahentis incitamentum demum obtemperandum fuit. Nec ita tamen , ut initiari jam tum vellem sacris Ordinibus , quibus nec dum maturum me agnoscebam , sed ut voluntatem tantum meam externo cuku testarer. At rei gerendæ , vestisque mutandæ modus , non levem mihi visus est habere deliberationem. Bossuetus enim , quem utpote rerum ad Ecclesiam pertinentium peritissimum adhibebam in consilium , valde mihi auctor erat , ut ad aliquod dies Aulâ excederem , extra conspectum hominum , velut ad pias animi exercitationes ; se interea , ac Montauerium , aliosque ex amicis , passim dicturos nomen dare me velle Ecclesiæ , atque ad id secessisse , brevi tempore alio ornata proditurum. At ego contrà non repente hanc habitus mutationem , sed paulatim inducendam censem , decrescente in dies cæsarie , & reliquo vestimentorum apparatu ad modeстiorem speciem traducto. Probavit id denique Bossuetus , tamque scitè & industriè procuratum ne-

negotium est , ut quamvis haec tenus ad communem aulicæ vitæ consuetudinem vestitus & militari ferè more succinctus incessissimè , vix quisquam tamen novum hunc in me cultum animadverterit.

Nec externum hunc tantum corporis ornatum , sed animum etiam atque mores ad Ecclesiæ normam componere studebam , cùm perdifficilis me invasit morbus , enato in sede teterrimo ulcere , unde gravissimi dolores sunt exorti . Cui malo sanando cùm sectio soleat adhiberi , quæ non sine acutissimis cruciatibus peragitur , nec sine periculo , uti malui Chirурgo obscuro & ignobili , qui sola balsami cuiusdam salutaris & efficacis injectione , hujusmodi affectionibus mederi se posse jactabat . In longum quidem tempus protracta curatio est , & renovati interdum dolores , cùm admoto specillo ulceris altitudinem identidem explorare necessè esset : exacti enim sunt in hac laniena menses quatuor . Sed tandem Dei beneficio cessit vis morbi , & pristinæ valetudini sum restitutus . Nec valetudo tamen illa pristina usque adeò firma fuit & integræ , quin ex adstrictione intestinorum & alvi mora , quam

N 7 gigne-

gignere solet sedentarium hoc vitæ genus, terminibus aliquando & febriculis tentatus sum. Cui malo cùm remedium quaererem, subvenit in tempore primarius Serenissimi Delphini Medicus, ius-
siisque me sorbere ante cibum quodidia-
no usū aliquantulum cassiae hujus,
quam Fistularem appellant officinæ,
quæque ex siliqua Ægyptiaca educitur.
Cui precepto cùm accuratè parere in-
stituissim, tam incorrupta corporis tem-
peratio, tam vegeta sanitas jam inde
subsecuta est, ut per annos plurimos
ne unicum quidem diem ex morbo de-
cubuisse me meminerim. Cùm tamen
nonnullos senserim aliquando podagrici
stichulos, & fatis crebros atque acutos,
ilium & alvi cruciatus. Donec postremo
hoc tempore tam lava subitæ aggredio-
nis vi sum correptus, ut intra paucos
dies desertus sim à Medicis, ac propè
depositus, & miraculo simile sit me,
jam conclamatum in vitam rediisse.

Sed & aliud sanitati meæ tuendæ
comparatum est mihi subsidium. Imbe-
cillum enim stomachum habebam à na-
tura; cuius etiam languorem auxerat
frequens sorbitorum & juseculorum
usus,

usus, quæ ægris alendis adhibere solent Medici. Usque adeò autem resolutæ erant fibræ stomachi, ut ægrè concoquere cibos posset: cùmque lippitudine præterea fæpe laborarem & oculorum epiphoris, conquerebar identidem in me unum incubuisse Virgilii & Horatii morbos, quorum hic lippus erat, ille crudus. Memineram verò legisse me apud Alexandrum Rhodium è Socierate Jesu, in Itineris sui Tunquinensis narratione, Theæ plantæ Sinicæ folia languentem stomachum juvare plurimum & excitare. Tum primùm autem plantæ hujus nomen atque usus nosci coeperunt in Gallia, cùm non magna ejus apud Mercatores suppeteret copia, ea que grandi pretio, ac propemodum auro contrà veniret. Nec mibi satis cognita tunc erat præparandæ ejus ratio. Quocunque tamen modo possem, eā juvare stomachum statui. Et res quidem supra spem atque votum cessit tam feliciter, ut novus mihi visus sit inditus esse stomachus, vegetus atque valens, nullique deinceps obnoxius cruditati. Hinc tanta porrò fuit apud me Theæ existimatio, ut nullum penè abire passus

fus sim diem ejus potu vacuum. Vnde & illud percipiebam commodi, quod salutares iste frondes benignis suis vaporibus cerebrum velut dexterent; ac propterea jure eas videbar Scopas ingenii appellare. Quamobrem grati animi mei monumentum hoc carmine expressum exstare volui:

I, puer, i, Theam confessim in pocula misce:

*Vrget non solitus lumina nostra sopor:
Mens stupet: obtusæ languent in corpore vires:*

*Languorem solvet vivida Thea novum.
Dum loquor, ecce focis infertur sessilis
olla:*

*Apposito infusus æstuat igne latex.
Protinus injicitur contortis Thea capillis.*

*Explicat implexas fervida lymphæ
comas.*

*Impletur vacuum cœlesti nectare pectus,
Intima vitalis permeat ossa calor.*

*Jamque fugit venis ignavi caussa ve-
terni;*

*Marcida jam cæco fomite membra
vigent.*

Adu-

COMM. DE REBUS &c. Lib. V. 305

Aciutum incaluit blando mens ita va-
pore,

Dum felix agitat percita corda fu-
ror,

Non curæ est animus, non luctu obno-
xius ulli,

Sed jocus, & risus, deliciaeque pla-
cent;

Urbanique sales, & tintus sermo le-
pore;

Et quæ multa solet fundere lingua
dicax.

Nunc juvat assiduos intermissoe la-
bores,

Et dulcem studiis inferuisse moram:

Nunc juvat & facili voces inflectero-
cantu,

Aut digitis resonæ ducere fila lyra.

O Thea, o sacro demissæ termite fron-
des!

O stirps magnorum munere nata
Deum!

Quæ te læta tulit regio? quo limite cœli
Alma salutifero germine turget bu-
mus?

Hanc pater Eoïs Phœbus consevit in
hortis,

Aurora adspersit rore benigna suo.

Et,

*Et, seu materno jussit de nomine dici,
Sive Deum ex donis, Thea vocata
fuit.*

*Quippe tulere Dei nascenti munera
planta:*

*Lætitiam Comus, Mars animosque
dedit;*

*Tuque, Coronide, sucoos facis esse sa-
lubres;*

*Hebe, fers rugis, canitieque moram;
Mercurius vegetæ mentis concessit acu-
men;*

Argutum Muse contribuere metos.

*Ergo non alios in carmina sufficit
cessus,*

*Qui Pimalea rigat nobilis intra
latex.*

*Hinc Floe quisquis crebro se proliuit
bastra,*

*Tradidit huic artes dexter Apollo
suas;*

*Et caput implicuit lumen, curruque le-
vatum*

Sacra coronatis ad iuga vexit aquis.

*Non ego divini penitus suu muneris ex-
pers,*

*Thea meo tingit saepius amne co-
mos.*

Spu-

COMM. DE REBUS &c. Lib.V. 307
*Spumea cùmque suis infecit pocula suc-
cis,*

*Et mea jucundus fluxit in ora li-
quor;*

*Mens commota novo confestim excan-
duit æstro,*

*Venere ad numeros carmina sponte-
suos;*

*Carmina, quæ seri studeant didicisse
nepotes,*

*Cadmæisque canat docta puella ju-
gis,*

*Et circum recubans avida bibat aure-
juventus,*

*Aut agat ad teneros mollia membra
modos,*

*Dicat E, Hæc iſſis cantabat Huetius
antris,*

*Oſtendatque meda ſaxa notata me-
nu,*

*Livor edax, in me vanis incurris ba-
benis:*

*Melpomene cedro nomina noſtra li-
net;*

*Meque suis addet laudatrix Gallia:
fastis:*

*Illum post cineres ſpondet Apollo-
diem.*

Pra-

Præclara erat tunc temporis Academiæ Francicæ existimatio, ex quo scilicet *Protectorem Academiæ* dici se passus fuerat Rex magnus, post obitum Petri Seguierii Francicæ Cancellarii, qui gesserat ipse quoque titulum hunc, sibi ab illustrissimo Cardinale Armando Richelio, Academiæ fundatore & patrono, relictum. In eam autem allegebatur nemo, cuius electionem Rex non probasset. Florebat illa itaque præstantibus dignitate viris, & politioris ingenii eruditissime laude commendatis, quorum plurimi veteri mecum erant amicitia devincti. Et ii quidem me ad hanc societatem amanter invitabant, cum dicerent exercitationum communitatem maximè decere eos qui familiaritate essent inter se & conjuncti. Haud abnuebam equidem, imò laudi futurum videbam in eorum esse numero, qui laude dignissimi haberentur. Verum totum me temebat *Demonstratio Evangelica*, neque licebat tam seriis tamque gravibus districto studiis, aliò distrahere animum, officiosis salutationibus tempus impendere, frequentare coetus Academicos, publici-

I An. 1674.

blicas habere sæpenumero , prout res ferrent , conciones ; quibus institutam mihi vitæ rationem magnopere conturbatum iri præsentiebam. Attamen hujusmodi excusationes , quantumvis justas & idoneas , non satis æquis animis accipiebant amici , collatisque consiliis , velut conjuratione in me facta , invitum me quantumlibet & repugnantem statuunt in Academiam intrudere. Quamvis autem legibus Academiæ vetitum sit , in eam admitti quemquam , quem id cupere & postulare non constet ipsi Academiæ , saltem ex locupletis unius & idonei testis asseveratione , nulla tamen conjuratis religio fuit , id de me sine cunctatione testificari , cum pro certo haberent , nihil pro mea adversum se reverentia contra ea dicturum. Factio-
nis capita fuerunt Bossuetus , Pelissio-
nius , Cursillonius , Dangelli Marchio ,
Flexiarius , Mezeræus , aliique nonnuli , quos in proposito suo omni ope con-
firmabat ipse Montauserius. Hinc fa-
ctum denique , ut in Cœtum hunc ad-
versans & reluctans invectus sim. Ac-
tum certè magno id mihi oneri esse sen-
si , ut jam antè præsagiebat animus ,
quod

quod alio tempore decorum mihi fore duxisset & honorificum. Cum enim in Concilium illud Coetumque assumerer, socius adjungebar excellentibus viris, Valentino Conrarto, qui tum Scribae Regis, atque item Academie, munus administrabat, qui que existimabatur benè Gallicè & loqui, & scribere, tum soluta oratione, tum stricta, & tinctus erat non vulgari elegantia morum, cum literarum admodum nihil sciret; Francisco Mezerato nobili rerum Gallicarum Scriptori; Petro Cornelio, theatralium Poëtarum hujus ætatis facile principi; & qui vestigia ejus persecutus est, Johanni Racinio; Rogerio item Rabutino Bussio, amatoriâ illâ Historiâ inclyto, argutâ sane & eleganti, at nimis acerbatâ, quâ incurrit in offensionem Regis; dignusque habitus est, qui in vinculis ad aliquot menses attineretur; quamquam nec parem ex reliquis suis scriptioribus plausum tulit; ac longè etiam minus ex Commentariis de rebus suis; in quibus id unum sibi proposuisse vides est, ut laudes predicaret ipse suas, primumque omnium rerum se faceret; quod longè crenit secus; nam nec eam

quam

COMM. DE REBUS &c. Lib.V. 314

quam appetiverat gloriam tulit , & jam
antè partam labefactavit ; Isaaco quoque
Bensseradæo , quem inexhaustum omnis
amœnitatis , leporis atque salis fontem
verè dixisses , quique audientium animos
infinitā devinciebat voluptate ; Carolo
Peralto etiam , & Philippo Quinalto ,
Poëtica laude celebratis ; & Johanni
Gallesio , qui primus apud nos scribere
instituit , enucleatè certè & politè , *E-
phemeridas virorum eruditorum*. Adde
complures alios , à me jam suprà lauda-
tos , Johannem Maresium , carmine E-
pico , & ingeniosa Poësi illustrem ; Pau-
lum Petitionum , eum de quo suprà
dixi , Supplicum Libellorum in regia
Magistrum ; Seraphinum Regnerium ,
non Latinis tantummodo , sed & Itali-
cis atque Hispanicis literis instructum ,
Cruscanæ quoque apud Florentinos A-
cademiæ Socium ; Spiritum denique Fle-
xiarium , infulis postmodum Nemau-
sensibus decoratum , disertissimum ho-
minem ; qui cùm Academiæ moderator
tum præcesset , quo die inter Academicos
inauguratus sum , postquam in magna
circumstantium corona pro more verba
feci , excepit ille me eloquentissima re-
spō-

Ipsione, suoque præconio liberalitatem exornavit. Hoc ipso die carmen publicè recitavit Maresius, grave illud quidem & luculentum, sed infelici argumento, cùm Homeri & Virgilii laudes instituisset obserere, vir nimium amator & admirator sui, ita futurum sperans, ut qui se supra eos non auderet aperte extollere, his infra se depresso superior tandem existeret. Quâ audaciâ excitatius deinde Peraltus, iisdemque, atque acrioribus etiam intemperiis agitatus, scribere ausus est ad perpetuum nominis sui dedecus nostram hanc ætatem, quamcunque tractaverit artem, quamcunque attigerit disciplinam, prisci ævi superasie peritiam, gloriamque omnem ingenio quæstam in se transmovisse. Quam ejus insulsitatem ita compressimus, cùm ab eo rogati nostram illi exprimeremus sententiam, ut ad meliorem mentem rediisse visus sit. Nam neque dissertationi benè longæ, à me ad eum super hoc argumento scriptæ, reposuit quicquam, nec novis deinde commentationibus perrexit approbare vulgo & propagare deliramentum hoc, scriptionemque meam occultavit tam
cau-

cautè & suppressit, ut nonnisi post ejus obitum inter ipsius Chartas fortè reperta prodierit. Sed hæc jam suprà à me sunt delibata.

Sed antequam discedamus ab Academicis nostris, pauca quædam commemoranda habeo de Petro Cornelio, quem dixi. Magnam ille sibi meritis suis quæsiverat nominis claritatem, planèque regnabat in theatris, cùm decoris sui oblitus demittere cœpit animum ad levissimas scriptiones, ingenii sui præstantiâ minime dignas. Si quod enim felicibus auspiciis exierat carmen ex Scholasticorum exhedris, his se dabat interpres, quos vix Operum suorum interpretes ferre debuissent. Præterea cùm ad procudendam carminum suorum editionem, ea revocare instituisset ad iacudem, in melius ea reformasse se ratus saepè depravavit, reclamante Thoma fratre, earumdem artium benè perito. Fuit præterea quod in tanto homine miratus essem, parùm æquum, parùmque rectum ejus, de poëmatum, Poëtarumque excellentia judicium. Corhorui equidem aliquando, cùm candide fateretur mihi, non tamen sine int-



go.

genua quadam verecundia, se Lucanum Virgilio anteferre: homo scilicet vulgi plausus sectari solitus, totusque ad secundas populi admurmurationes compositionis, grandes illas, magnificas, & acutas aucupabatur sententias, multitudini commovendae idoneas; iis neglectis poetice artis virtutibus, quæ sitæ sunt in ingeniosa & prudenti inventione; in accurata constitutione suscepti operis; in æqua partium divisione ac confensione; in styli dignitate per omnes partes diffusa, & ad eas tamen subjectamque materiam accommodata. Parùm ad hæc respexit Cornelius, nec satis perspecta habuit, suoque delectatus artificio cætera contempsit. Adeò verum est, quod & nos alibi contra receptam vulgi opinionem ausi sumus scribere, plures reperiri Poëtas eximios, qui tamen per rari sunt, quam æquos & acutos Poëseos existimatores & judices. At magna certè laude dignum judico Cornelium, quod velut pertæsus plausum vulgi, quos ex theatrali opera, assentientibus universis, captare erat solitus, industriam suam convertit ad meliores usus, Deique præconia carminibus suis celebranda suscepit.

Cir-

Circa hæc tempora venit ad me officii causâ Eduardus Bernardus Anglus, quem pauci hac aetate se quiparabant eruditio[n]is laude, modestia vero penè nulli. Excipio tamen Thomam Galzeum, Angulum alterum, quem utraque doce, & modestias & doctrinæ, non Bernardo tantum, sed omnibus hominibus, quos quidem noverim, anteferendum puto. Is me nec de facie sibi notum, humanitate, benignitate, omnibus officiis provocavit, & ad amorem sui pellexit. Atque ea fane in me constat illius beneficia, quæ, nisi cupiter ingratus esset velim, nulla ex animo raro dico oblitare posse.

Felicem enī tuli hic idem annus amicorum proventum: Johannes enim Fontana, venustus ille & perargutus fabularum sed paulò nequitorum Scriptor, cum velle me videre inaudisset Italicae Institutionum Quintiliæ interpretacionem, ab Horatio Tuscanella elucidatam, non liberaliter eam ad me tantummodo detulit, denoque dedit; sed mutuo etiam exornavit luculento carmine ad me scriptio, quo eorum infectaretur insania, qui aetatem hanc nostram oppo-

nunt Antiquitati, atque etiam antepo-
nunt. In quo Fontanæ ipsius candorem
licet agnoscere; nam cùm inter suavissi-
mos gentis nostræ Scriptores locum te-
neat, maluit vel adversus seipsum cau-
fam dicere, quām meritis honoribus ve-
teres scriptores defraudare.

Ide[m] mihi annus illustrissimorum due-
rum Ducum & Parium Franciæ conci-
liavit amicitiam; vel potius confirmavit,
Francisci Roccafucaldii, & Francisci
Bellovillarii Santaniani, quorum ille ex
Commentariis rerum, post Regis Lu-
dovici XIII. obitum, in Gallia gesta-
rum, acerrimo judicio scriptis, & pere-
leganti stylo, qui nobilitatem præfuit
Auctoris, magnum sibi nomen peperit.
Nam in iis *Sententiis*, quas per vulgavit
sub *Axiomatum* nomine, pertinentque
ad mores hominum, nihil est quod val-
de laudem: non enim ex nativo homi-
num ingenio & moribus integris; sed
ex naturæ depravatione & animi huma-
ni corruptela petita sunt; ut quod ge-
nerali vocabulo appellavit *Axiomata*,
iquali omni hominum generi sequè con-
veniant, rectius illa improborum homi-
num vixijs dicenda sint convenire. Quo-
diam

niam autem abundare cum videbam officia valdeque delectari eruditis sermonibus, inscrere cum Academicorum Fratricolorum choro vehementer opebam, remque communicaveram cum Laverna Fayetta, quam ille percolebat omnibus officiis, resque suas ad ejus arbitrium referre solebat; & apud quam saepe fruabar ejus consuetudine. At illa probare se quidem consilium dixit, sed quoniam nus. itidem probaretur à Roccafucaldio, obstat quippiam, legem nempe illam Academicis impositam, concionis habenda ad Socios ipso inaugurationis die, & ad coronam doctorum hominum patensib[us] portis admissam, tam molli autem cum esse animo, & ad verba publice facienda ceterumque alloquendum remissi so, tamque aurum oratione delinienda ruu. & demulcendarum insuetos, ut si sex septemve homines ad se audiendum vidisset coisse, animæ defectionem effet sensurus. At Saneianus ille, quem sibi præ dixi, postulasse à me ut locus sibi tribueretur in illo Sodalito, quod olim Cadomi apud me fuerat institutum, albo Academicorum Parisiensium multo

Digitized by Google

Pag. 229.

jam antè adscriptus, felicitatem ingenii
sui, tum profa, tunā verfa oratione
sepius probaverat; cùmque accepisset
aliquando, diem beatæ Virgini sine pec-
cati labi conceptæ sacrum, anniversario
situ, à Poëtis undecunque accitis, etiam
propositis præmiis, ad podium Acadé-
miae Cadomensis celebrari; ipse quoque
in hac palestra industriam suam pericli-
tatus, Lyrici carminis palmam tulit,
magno ordinum omnium applausu. Is
vero nullam testificandæ sue adversaria
me benevolentie occasionem hoc tempo-
re prætermisceret.

Multum utabar hoc tempore Nicolo
Melchisedeco Tevenotio, & magnopere
delectabar Collectaneis illis veterum Opus-
sculorum ad Geographiam pertinentiem,
quæ corradebat undique, Johannis Ba-
ptistæ Ramusii diligentiam imitatis. Ve-
rumentum vero plus inde provenisset ani-
litatis in bonas literas, si non vellicatim
& saltuatim, sed certor & constanti or-
dine digesta ea prodiisset. Quoniam
autem Libellorum illorum nonnulli ex
Linguis exoticis, & Arabica potissimum,
in Gallicam conversi apparebant, horum
editor, sic & interpres habitus est Te-
ve-

venotius, Linguarumque illarum peritus, atque hoc nomine in *Galliam Orientalem* relatus est à Paulo Colomesio, cùm tamen leviter admodum iis esset instructus, eorumque interpretandorum operam ipsi præstarent Linguarum illarum peritiores quidam viri. Postquam ad Bibliothecæ Regiæ procurationem adscitus fuit, habebat in animo conjungere in unum corpus omnes eos Auctores, qui de re militari scripsissent; quod in mentem quoque venerat Casaubono, cùm eidem muneri præfectus esset; ad idque copiam sibi à me fieri voluit Asclepiodoti Tacticorum, quæ olim ex Suecia Reginæ Christinæ Bibliotheca descripseram; & alterius præterea Libelli Græcè itidem scripti, ejusdem argumenti, qui Africani esse putabantur; vetustas enim, Libri titulum eraserat; hunc mihi jam olim communicaverat Jacobus Palmerius. Verum susceptas spes præcidit inopina mors Tevenotii. Atque ipse meus Africani Commentarius in Tevenotianæ Bibliothecæ distractione intercidit.

Feliciter tum quoque tractabat literas Orientis Bartholomæus Herbelotius, ex
O 4 ejus-

eiusque congressu , quotiescumque cœ
frui possem , redibam doctior ; nam &
rarò prodibat foras , & temporis sui erat
valde parcus , uti nec ego valde prodi-
gus mei. Laborum autem suorum fru-
ctum omnem contulit in opulentum il-
lud doctrinæ penū , cui *Bibliothecæ Ori-
entalis* titulum præfixit ; & meritò sa-
nè : nam quæ sparsim per infinita illa
volumina , quibus Oriens scatet , dissi-
pata sunt , nitidè & accuratè composita
illuc congeffit.

Amicus mihi quoque tum fuit , qui
studiosorum hominum amicum se fere-
bat , Vio Herovallius ; literis ipse qui-
dem leviter tinctus , animo tamen in
Literatos insigniter proclivi & benefico ;
& ex priscis ac pulverulentis Cameræ
Computorum tabulariis , quæ pro Offi-
cii sui ratione sæpe & diligenter versave-
rat , excerpta monumenta liberaliter sub-
ministrare solitus postulantibus , unde
locupletari posset veteris ævi memoria.

Nec præterire h̄ic decet Adrianum
Auzutium , variæ hominem & latè
diffusæ per omnes disciplinas eruditio-
nis : nam & liberalibus artibus ac ma-
thematicis præcipue erat apprimè instru-
etus.

Etus. Nec multa famen doctrinæ suæ edidit specimina; at quæ exciderunt ei, & accurationem ipsius, & diligentiam, & singulare acumen testantur. Velut brevis illa Dissertatio, quâ Cometæ hujus, qui Anæo MDCLXIV. exortus erat, curriolum præsignare, & iter metari ac prædicere instituit. Et quoniam sumile quippiam Cadomi attentaveram, cùm in globo meo cælesti per stationes, quas obitus erat Cometa, circumduxissem filum, & amicis ostendissem, resque eum quæna præmonstraveram extum habuisset, prima mihi cura fuit ad eundi Auzutii simulac redii Lutetiam, measque observationes cum ipsius observationibus, de quibus ad me scriptum erat, conferendi, quæ & planè visæ sunt consentire.

Jobum Ludolfum, Aethiopicæ literaturæ parentem, videram olim & novaram Cadomi, cùm Bocharti uteretur hospitio, eique Linguæ hujus præcepta traderet. Temporis autem lapsu oblitteratam hanc, quæ inter nos erat, notitiam renovavit ipse, cùm multis post annis Lutetiam se contulisset, compositis jam pluribus Libris, & singularis

O*s* *doctri-*

doctrinæ famâ conspicuus. Libenti itaque eum excepit animo, cùm pristinæ necessitudinis memor ad me officiosè venisset.

Opportunum hoc tempus visum est, quo Mathematicis disciplinis imbueretur Serenissimus Delphinus, usque potissimum, quibus muniendarum urbium & arcium præcepta traduntur. Data hæc est provincia Francisco Blondello, Regio Artium allarum Professori, viro variae doctrinæ, & humanioribus quoque literis excuto, quemadmodum editis in vulgus scriptoribus luculenter approbat. Is autem non obscurè præ se ferebat aversum à me animum, postquam in Demonstratione mea Evangelica visus eram de Geometriæ præstantia ac dignitate nonnihil detraxisse. Sed facilius illi fuit contumaci nute & distorto ore adspicari sententiam meam, quam solidis rationibus confutare.

Venit ad me interim tristissimus ab morte Antonii Hallæi, Receptoris quondam mei, nuntius; eoque acerbior, quod simul nuntiatum est, agentem cum animam, oculisque jam in media

I An. 1677.

morte natantibus, meminisse mei, & velut supremum mihi vale amantissimis verbis per internuntium dixisse. Quod jam & commemoravi suprà¹ & hīc iteratū jucundum est. Mis̄erat autē ille ad me paucis antè mensibus *Miscellaneorum* suorum Serenissimi Delphini nomine inscriptorum exemplar, rogaveratque ut suis illud verbis offerrem Illustrissimo Principi, munusque suum dictis ornam̄. Tunc autem detinebat me Lutetiae gravis morbus, per quem nec licet bat exire, nec aliter impositum mihi ab Hallæo negotium poteram exsequi quām per epistolam. Munus itaque misi ad Delphinum, literasque adjunxi, quibus Hallæi prædicabam virtutem & doctrinam. Liberaliter respondit humanissimus Princeps; nec ab instituto discessurum me puto, si & scriptam à mē hac de re epistolam, & responsonem, quibus Hallæi continetur laus, hīc repræsentem.² His igitur verbis cum compellavi: *Antonius Hallæus, Præceptor quondam meus, dum in ejus effem contubernio, cùm omni genere doctrinæ, tūm maximè poëtica facultate florebat.* Ego autem ita

O 6

. illi

1 Pag. 27. 28. 2 An. 1675.

illi in disciplinam traditus eram, ut quoad liceret ab optimi & eruditissimi viri ore penderem, magnoque audirem studio molles suos & facetos versus mibi saepe recitatem. Quibus sic afficiebar interdum, ut vix excepti auribus jam insiderent memoriae, moque ad studia, ceterum baudquam tardum & languentem, vehementer acuerent. Is vero exacta nunc aetate, & a literariis laboribus ad otium devexa, vite in amoenioribus disciplinis placidissime aetate, partarumque laudum memoriam fruitur:

Sicut fortis equus, spatio qui saepe supremo
Vicit Olympia, nunc senio confectu
quiescit.

Nec turpem tamen senectutem, aut citbarum penitus carentem degit. Dum enim lucubrationum suarum recognitione oblectat animum, vietus amicorum, moisque adeo precibus, eas quoque in unum colligere & in lucem dare vix tandem instituit. Neque id profecto, que viri modestia est, ab eo impetrasset, nisi intextis, quae illustrissimo tuo nomine inscripta sunt, carminibus

nibus, sui adversum te cultus & obser-
vantiae perenne monumentum extare vo-
luisset. Peto igitur abs te, ut quem ipsius
verbis offero tibi Poëmatum illorum Li-
bellum, pro singulari tua humanitate, co-
mitem & benignè accipias, atque inter
commentarios tanquam hospitem admittas.
Hoc si feceris, spero futurum, opto qui-
dem certè, ut per quem plurimum profe-
cisse me agnosco, per hunc ipsum tu quo-
que non parum proficias. Vale. Lutet. Pa-
ris. iv. Eid. Mart. MDCLXXV. Cui epi-
stolæ respondit Serenissimus Delphinus
in hunc modum: Cùm tu ad me Anto-
nii Hallæi, Præceptoris quondam tui,
Poëmata misisti, rem fecisti mihi longè
gratissimam: doctorum enim virorum Lu-
cubrationibus evolvendis plurimum delector.
Nullus dubito quin ejus magna sit in poë-
tica facultate præstantia, quo duce ad
Parnassi culmen pervenisti. Pro tam in-
signi munere tu velim ei gratias agas meo
nomine, & signifiques quidquid succisi vi
temporis à consuetis laboribus mibi super-
erit, id omne in legendis ipsius scriptio-
bus me libentissime collaturum. Valetudi-
nem tuam cura diligenter; nihil mibi gra-
tius facere posse. Sic enim habeo, te mit-

bi esse longè carissimum; eoque etiam foro cariorem, si me à te amari intellexero.

Cùm quadragesimum sextum ætatis agerem annum, parendum tandem vocantis Dei nuntibus esse duxi, & ne visderer contra stimulum diutiùs calcitrare, Ecclesiæ non externum tantùm asilendum esse cultum & speciem, quod ab annis aliquot præstitum fuerat à me, sed jugo etiam colla submittenda, ut sarcis Ordinibus illigari me curarem. Cùmque in rebus agendis, iisque præsertim, quæ pertinent ad vitæ institutum, graviorisque sunt momenti, mihi semper visum sit opportunum diu deliberare, deliberata verò festinanter exsequi, decretum apud me est post tot annorum consultationem, in rem tandem quām ocyssimè conferre suscepturn lentè consilium. Jam diu enim à Francisco Harlæto, Rothomagensi Archiepiscopo, Tonsura, ut vocant, clericali fueram initiatus; minoribus verò Ordinibus aliquantò pòst à Francisco Nesmondio, Episcopo Bajocensi, ad cuius ditionem pertinet Cadomum patria mea. Dedi igitur operam, ut Summi Pontificis beneficio liceret mihi ad sacros promoveri Ordin-

Ordines, non servatis iis intervallis, nec
observatis temporibus, quæ præscripsit
lex Ecclesiæ. Post pias igitur exercita-
tiones, per tres continuos dies res ad-
ministrata est operâ Claudi Auvrii,
Constantiensis Episcopi. Totum deinde
mensem impendi sacris ritibus condiscen-
dis, quos postquam usu frequenti in-
suefactus satis percepisse mihi visus sum,
cum primùm denique sacris sum oper-
tus ad tumulum sanctæ Genovefæ, (cu-
jus in civitate Parisina summa veneratio
est) in crypta subterranea; futurum spe-
rans, ut sanctissimæ Virginis patrocinio
benè mihi verteret recens in me colla-
tum sacerdotium, ad Dei gloriam, meam-
que salutem. Jam diu enim pio in san-
ctæ Virginis cultum ferebar studio:
nec ullus ab hoc tempore prætermisssus
est annus, quo anniversario ejus recur-
rente festo sacra non peregerim ad ejus
aram, quoad per valetudinem licuit,
quod gravi primùm morbo, ac deinde
senectutis imbecillitate debilitatus, pol-
strensis hisce annis facere intercessi. Ac
profectò, quòd me supereffic ad hanc
diem passus est omnipotens Deus, quòd
viales auras traho, depulso scagli illo
mor-

morbo , quo ante paucos annos oppres-
sus , jamque depositus , ac penè conclamatus jacueram , totum id acceptum
referre debeo optimæ patronæ præsidio
& tutelæ , quam in summo hoc meo
discrimine imploravi humili obsecratio-
ne ac prece , nec ullo meo merito im-
petravi.

Circa hæc tempora attulit ad me nu-
mismata antiqua aliquot , argentea & au-
rea , optimæ notæ , Judæus quidam no-
mine Salucius , rei nummariae veteris
non imperitus . Venundabat ea quamplu-
rimo , neque sanè immerito , cùm nihil
ei suppeteret aliud , præter negotiatio-
nem hanc , unde vitam tolerare posset.
Cùmque vultu & oculis , ac sermoni-
bus etiam , singularem animi præ se fer-
ret candorem , non longè eum abesse
creddi à regno Dei ; ac futurum porrò
certò speravi , ut discussis Judaïsmi te-
nebris ad lucem posset oculos aperire.
Nec mea me spes frustrata est ; nam re-
luctans primùm , & adversus monita
mea & argumenta repugnaas , docilior-
que demum factus , Christi jugum in se
recepit . Lustratum hunc igitur per me
salutaribus aquis de sacro fonte suscepit
Ca-

Carolus Sammauræus Montauerius,
nomenque illi suum imposuit.

Cùm autem postremis hisce temporibus tota ferali bello arderet Europa, sanctam Virginem Genovefam supplici carmine allegavi ad Deum, quæ pacem exposceret, præsensque afflictis Christianorum rebus ferret subsidium. Nec abs re futurum opinor, precationem nostram oculis pii Lectoris subjicere:

*Prodeas summo, Genovefa, cælo,
Auream stellis radiata frontem,
Et Parisinos propius revise
Candida colles.*

*Si tuum supplex, redeunte Jano,
Limen angustis terit usque portis,
Et coronatas pia turba mensis.*

Ponit acerras:

*Si tua flamen trabeatus æde
Exiens nudo pede saxa pressit,
Cùm triumphali spaciata pompa.*

Compita lustras:

*Dumque devoto decus ore Mythes
Namptodorensis celebrat puella,
Prona sub sacro posuere cives.*

Cella ferebro:

Hec

*Hæc tibi nunc sint pia facta curæ:
Nunc vicem votis memorem referre
Tempus, & torva decorare vintos
Casside crines.*

*Scande sublimes animosa currus,
Et Patris summi trifidum rubente
Impias dextra domitura gentes
Arripe telum.*

*Barbaræ circum coëunt phalanges;
Deserit nigras Alemannus Arctos,
Ausus Hispanis equitare campis,
Imminet Anglus.*

*Institor merces Oriente partas
Destinat Francis Batavus ruinis;
Hæc datæ quondam misero salutis
Præmia reddens.*

*Scabra detergit forus arma miles;
Cotis afflitti juvenescit ensis;
Jamque desueto feterunt minaces
Vertice crista.*

*Diva, quid ceffas? nec adhuc cornflos
Nube candenti jacularis ignes?
Oris aut flatu valido Sicambra
Efeda vertis?*

*Est tamen quod te potiore voto
Postulem, Virgo: precibus Tonantem
Posce, discordes populos beato
Fædere jungat.*

Det

*Det bonam cælo remeare pacem;
Equitas quam mox reducem sequatur;
Nec fides abfit retegens solutæ
Pectora peplo.*

*Nata supræmi Piesas Parentis,
Perditos mores haminum refingens
Advolet, nostris animisque sacros
Ventilat æstus.*

*Illa damnoſo tamidum furore
Imbuat ſenſu meliore pectus:
Is gravi preſſum quoque uti viterue
Excitat ardor.*

*Me piget priſcis eruciare mentem
Amplius libris, ſtudioque dabo
Antelucanos operariorum
Ferre labores.*

*Janus petor uita: quid adhuc dolofes
Spes diu terris ruitant merantur?
Eximor curis, & agente curas
Eximor exo.*

Alnetum, nobile oppidum, duodecim milliaribus Cadomo distat versus Austrum. Oppido adjacet Abbatia Cisteriensis Ordinis, cui fiduciario jure præfuerunt ingenio, scriptis, & pictate illustres duo Abbates, Johannes Bertalus, & Johannes Petrus Camusius, quorum

rum hic Bellicensis Episcopus fuit, i.e. Sagiensis. Vacanti ei hoc tempore, per mortem Caroli Furnii, præfecit me Rex beneficentissimus. Nec eam tamen mihi, nisi post longum tempus adire licuit, absoluto studiorum Serenissimi Delphini curriculo, tūm scilicet cūm de ejus nuptiis cogitari cœptum est. Transacto igitur à me in Aula toto decennio, & revisendæ patriæ facultate mihi concessa, Cadomum primùm, ac deinde Alnetum veni: cuius ruris deliciis vel primo adspectu ita captus sum, ut nihil unquam alius, nihil amoenius vidisse me meminerim; ea est collum, vallum, nemorum, pratorum, camporum, fontium, rivorum, hortorum, proceratum & videntium arborum, vel sparsim surgentium, vel in longissimos versus affinarum varietas: summa ad hæc salubritas aëris, suavissima tranquillitas loci: ut si secessus ad arbitrium meum parandi facultatem mihi tribuisset Deus, non ad aliam faciem eum confinxisset. Non frustra igitur, nec per poëticam licentiam, sed ex rei veritate Tempe hæc carminibus meis ita celebravi:

Tibi

I An. 1678.

COMM. DE REBUS &c. Lib.V. 333

Tibi grates, zephyris hospita tellus,

Tibi laudes cano, florum sacra mater:

Tua tandem, tua viso repetito juga
cursu:

Studiorum pia nutrix, Parisinos

Strepitus buc fugienti nemus altum

Bona præbes, Et amica recreatum lavis
unda.

Potes acres animi pellere curas,

Relevas ingenii tædia fessi,

Simul atra recubantem corylorum legis
umbra.

Mibi robur vegetum læta ministras.

Tua cum pectoribus dicitur aura,

Subit intus reparatos juvenilis vigor ar-
tus.

Neque falmen, neque fædus ruit im-
ber;

Neque frigus, neque fervens nocet
æstas;

Tua nascens juga Phœbus meliori linit
auro.

Tua Musæ faciles antra frequentant:

Salientum Satyrorum pede pulsos

Dea colles jaculatrix fnuato quatit arcu.

Per amœnos spoliari juvet agros.

Date lusus, mea Tempe, date so-
mnos,

*Vitrea qua per opacum levis Vdo stro-
pit urna.*

*Novus anni fitis bis me tepor oris:
Neque linquam loca mærens prius ista,
Abigat quam Tegeæ glacialis rigor
Vrse.*

Carminis hujus novitas, recentioribus Poëtis neglecti, vel fortasse propter difficultatem formidati, cuius unicum exemplum suppeditavit Horatius, multorum adimitandum commovit industriam, quos penè omnes collocatæ infeliciter operæ poenituit. At ejus dulcedine captus Lantinus, Divisionis Senator, in Musicis egregiè exercitatus, modos addidit tanè suavitatis, ut mulrum decoris hinc accesserit versiculis meis, mihi que de iis ipse placuerim. Nec pigebit aliud hic quoque carmen subjungere, quo agri hujus amoenitatem, & praeterfluentis Vdonis, purissimi & frigidissimi fluvii, deficias expressi, cum ad Nicolaum Heinsum scriberem, Danielis Heinzi nobilis Poëtæ non degenerem filium:

Er-

*Ergo-ne æternis agitemur; Heinsi,
Fluctibus rerum, dubiæque fortis
Aura nos semper malefida cæco
Turbine verset?*

*Jam satis longos patimur tumultus;
Jam decom Titan reparavit annos,
Vana me postquam patria carentem
Detinet Aula.*

*Lege non illa Pþrygias paciscar
Attali gazas, Asieque campis
Aurifer quidquid trahit in rubente
Hermus arena.*

*O ubi molles Cadomi recessus?
Quis mibi longè vetus hinc sodalis
Obviam prodit, reducique latus
Montis acuti
Monstrar optatum digito cacumen
Lusibus quandam loca sacra nostris,
Cum darent certis faciles diebus
Otia Musæ?*

*O ubi quandam mibi nota pubes,
Atque defessa juvenum choreis
Oienæ Nymphæ, levibusque rura.
Cognita Nymphis?*

*Illa vitalos mibi lucis auras
Præbuit tellus, eadem sepulcro
Ossa componens cineri supremus
Reddat honores.*

S. 13

*Sin eas sedes mea fors negarit,
Tum meæ quæram senectæ
Hic ubi lœtas fluit inter alnos
Frigidus Vdo.*

*Monte qui primum saliens propinquo
Roscidis murmur meditatur antris,
Et coloratos querulo laceſſit
Rore lapillos.*

*Mox citas lœtis vagus eſculetis
Colligit lymphas, tumidusque fluctu
Olenam patrem petit, & minaci
Provocat undæ.*

*Annub fontem celebrans honore
Ludit exultim petulans juventus:
Virgines adstant, hilarique solvunt
Ora cæbanno.*

*Nec puellares animos voluptas
Sola prolectat: venerantur amnem,
Et satas circum salices amœnus
Floribus ornant.*

*Vestit umbrosas rufis berba ripas;
Stagna pellito pede tranat anser;
Pifsis incassum saliens tenaci
Ducitur unco.*

*Inde pastorum resonant cicute;
Lucidum tergo gerit agna vellus;
Explicat longum latus inter altas
Vacca genistas.*

dpe

Ipse Pan spreto veniens Lycae.

Sæpe formosam Pityn in remotis.

Rupibus cantat, sua jam nec illæ

Mænala curæ.

Illa præ cunctis mibi ridet ora;

His amem latus jacuisse ripis,

Flores inter recubans beati

Ruris odores.

Hinc meo noctam capiti corollas:

Non mibi quavis placuere flores

Valle decerpit, neque lectus omni

Cespite ramus.

Hoc carmine grates referre conatus fuit
Nicolao Heinsio, cum Virgilium novis
curis diligenter a se recognitum, & ni-
tidissimis formis impressum ad me emi-
sisset, suavissimasque literas, velvet mati-
tissam, adjunxisset muneri suo. Quæ cum
mihi spem ostentarent adipiscendæ am-
icitiae tam excellentis viri, mihi certe
non defui, nec committendum duxi,
ut quod ipse beneficium ambire debue-
ram, id ultro oblatum adspexerat.

Postquam degustavi semel Alactani
ruris delicias, cum inde me exigeret
adventantis hyemis tempus, summo al-
luc recurrebam studio singulis quibus.

P

qac

PETRI DAN. HUETII

que annis ad primum hirundinis volatum , & cantum philomelæ , totasque æstates transigebam in dulcissimo otio , noctesque & dies versabar in exquisitum doctrinarum meditatione , non aliàs tam quietam tamque beatam studiorum sedem nactus . Inde prodierunt *Almetane nostræ Questiones* , quibus perdifficilis argumenti assumpti tractationem , de Rationis & Fidei concordia ; quæ partes esse debeant Rationis in suscipienda Fide ; usque quò pertinere beat Fidei in Rationem imperium . Tum etiam clamissimis docui exemplis , nihil tam alienum à sensu communis , vel ad credendum , vel ad agendum , proponi nobis à sancta nostra Religione , quorum dogmatum & præceptorum , vel consimilia , vel etiam à fide moribusque hominum magis aliena , gentes optimis insitutis temperatæ vel non crediderint , vel in osuti cotisfudinemque non reperient ; proptereaque nullam superesse caussam , cum ea ab impiis hominibus repudiantur . Hinc prædit & Censura *Biblio phia Cartesiana* , quæ Sectæ ejus veritas tam certis documentis patefacta est , & cùta hyperus ille factionis hujus

339

ius propugnator Petrus Sylvanus Regius
fuisse tellere eam instituisse, non huius
expedire se potuerit, quam postquam
verba mea, quæ referenda sibi erant
falsa interpretatione adulterasset: adeo
ut argumentationi meæ responsum
opponere se simulans, sibi ipse dolorem
lo, sed inani calliditate responderit.

Vtraque autem hæc Lucubratio, &c
quâ Fidem cum Ratione in concordiam
adducere, & quâ Philosophiam Carte-
sianam oppugnare conatus sum, partes
erant majoris Operis, quod informave-
ram animo, & cujus designationem hic
adumbrare non erit præter suscepti ope-
ris rationem. Ex puerili institutione,
quæ tradi solet in Scholis tam acer in-
federat intimis meis sensibus amor & exi-
statio veteris Philosophiæ, ut ancil-
lari ei humiliores literæ jam inde mihi
vise sint. Hac cupidine productus sum
ad cognoscendas Sectas prisorum illo-
rum Philosophiæ Antistitum, quæ à
Diogene Laertio sunt explicatae. Quæ
scriptio esti tumultuaria opera elucubra-
tali est à Diogene, nec ea accuratione,
quam postulabat momentum rei ac di-
gnitas, ea tamen utebat tanquam prom-

tuario quodam ; unde pretiosæ supelle-
tilis partes pro tempore proferri pos-
sent. Accessit Menagii commentarius,
quem ille cùm optasset à me recognosci,
& ad examen revocari, folia ad me par-
ticulatim miserat per veredarios , simul
atque è prælo exierant ; quæ diligenter
à me perfecta , & cum aliorum collata
observationibus, intimam mihi præbue-
rant historiæ philosophicæ notitiam.
Tempore ab hoc nullum mihi suscep-
tum est iter , nullum mihi sepositum
succisivum tempus , nulla studiorum in-
stituta ratio , quin comitem adhibuerim
Laërtium , partemque commentationum
mearum sibi vindicaverit Philosophia.
Quæ cùm ipsa nullis contineatur fini-
bus , & ultra mundi ipsius atque ævi
metas evagetur in immensum ; mens
autem humana in angustum coacta ,
& humili depressa , densisque obducta te-
nebris , in claram lucem crepere , ar-
duosque veritatis apices ratione sua sub-
nixa conetur apprehendere , quærendum
mihi proposui , quoisque viribus illa
suis sese posset attollere , quænam illi
petenda essent à Fide suppetiæ. Diu
multumque , nec injucundè sanè , me

exercuerunt præclara hæc studia, Opusque meis congestum & elaboratum curis in magna excrescet molem; sed utilius id & ad vulgi captum accommodatis fore decrevi, si searetur in partes, & ad certa capita referretur. Hinc prodierunt Alnetanae illæ Quæstiones; hinc & Censura Philosophiae Cartesiana. At plura porrò prodiissent, si non exarthesset has etate bonarum literarum ombra, plusque perversis impetratorum hominibus praetudicis, quam sinceræ veritati tribueretur.

Indidem ex Alnetano manavit Opus nostrum *De Situ Paradisi terrestris*; cuius inventionem, neque mihi, neque Bocharto, sed antiquis tribus vissis debetri declaratus a me estup. Venit hinc etiam scriptio nostra *De navigationibus Salomonis*; quæ quæstio infinitis vexata est Interpretum disputationibus. Notæ quoque nostræ in Anthologiam Epigrammatum Graecorum, non dedicâ quidem operâ, sed fortuitò ex Alnetano sunit exortæ; Georgij nimirum Grævii Rogat, qui ejus parabat editionem, cùm intellexisset ex Emerici Bigotii literis, multa me haud spernenda ad oram codicis mei

242. PETRUS DANIEL HENRICI
ad texuisse. Provenerunt inde etiam Or-
igines Cadomenses, quarum disquisitio à
multis agentata, nec sahenter sane, à
ceteris deserta, vatis ut exegit, Béla
consuetis amperioribusque studiis abstua-
ctum, in medium bathardum & cariosa
tabularia demersit.

Hujus Libri scribendi hanc mihi oc-
casionem sors obtulit. Vident in Capi-
tularibus Gagoli Galvi, & in Vita Alexi-
ci Genesioensis Episcopi à Bedosiorum,
Johannes ille Blasius Capensis, misericordia
a me laudatus, non modo pagorunt ho-
ferioris Normannie reddensi in Comita-
tu Bajocensi Octingam Saxoniam, inter
pagos Bagisium & Oxoniu[m] Ex istu
logi conjectandi Cadomibus signat h[ab]et
nomina, mentisque suam Sagratiola ap-
puit, qui non ut conjecturam & inspi-
cionem, ita ut propoerbatu[m] à Blasio,
sed tanquam rem certam & indubitatam
affirmit, & ad me scripsit repertam esse
tandem verata patris nostre originem.
At non ago credulus illis, neque latten-
tius expensa agnoui mentiogramm hic ut-
iles notari, sed pagos, hoc est, tractos
perh[ab]ique regiones! Hinc oborta inter
me & Blasium disquisitio de Originibus
Ca-

Cadomensibus, ad quas eruendas illum, quem diligentem & sagacem cognovēram, magnopere impellebam. Excusabat ille scientutem suam, qui octogessimum quartum agebat annum. Ego contrā Catonis opponebam exemplum, qui hoc ipso ætatis suæ anno Romanarū originum opus contexebat. Nec discessit tamen Blæsius à pertinacia: hoc tantum pollicitus est, si id in me laboris suscepserem, quidquid auctoritate posset, vel studio, vel consilio, ad Operis absolutionem vel ornamentum conferre, diligenter se præstaturum: & præstitit fānè; nam & loca, & parietinas, & tabularia perlustrabat velut ad præscriptum; sene ipsos consultebat de veteris ævi memoria, omniaque ad me accuratè referebat. Sed neque veteris amicitiae officiis defuit Nicolaus Munsterius, Prætor Cadomensis: misit enim ille ad me in Alnetanum ingentia duo & iuculenta Actorum urbanorum volumina; non valde antiqua illa quidem, sed quibus deictipta continentur, quæcumque post clades Anglicanas & incendia, bonorum ci-vium diligentia recuperari potuerunt. Illuc quoque missus est ad me codex A-

ctorum Cadomensis Academiæ sive Vniversitatis ducentis abhinc annis collectus & digestus à Petro Monnerio Emauderiano, viro de hac Academia præclarè merito. Nec studia nostra neglexerunt municipum nostrorum quamplurimi, qui veteres Scribarum forensium & Libellionum tabulas officiosè subministrarunt. In quibus evolvendis, haud minus quam in versandis pistrini molis, multo tempore sumus defatigati.

Profluxerunt ex iisdem fontibus Alnetanis Carmina varia, non tam cœstro poëtico mentem intus agitante profusa, quam ridentis locorum naturæ incitamento expressa. Quamobrem inter æramnosæ senectutis incommoda non postremum illud pono, quod tardum me & ad subeundas itineris hujus molestias planè ignavum fecit; adeò ut non sine angore possim pristinas illas suavitates reminisci, ac cogitare porrò iis mihi deinceps penitus esse carendum.

Dum his commentationibus intendebam animum in Alnetano, excurrebam tamen identidem in alterius generis studia, quibus aperta & commoda cœli facies, & patentes divitis naturæ sinus
præ-

præbebant materiali. Nam si quando spectanda se dabant Solis & Lunæ deliquia, observabam ea diligenter, adhuc instrumentis Astronomicis ab Ægidio Macæo olim in hos usus fabrefactis. His Alnetani Poli altitudinem esse comprehendi graduum XLVIIII minutaram partium LVIII secundarum XX. cum ex Macæi observationibus intellexissim Po- lium Cadomensem altutum esse gradus XLIX. minutas partes x. secundas XXX. Instru- mentum illuc afferri curaveram, recens inventum, quod Statetam aëris meritò appelles, de eorum genere, quibus ex argenti vivi libramente pondus aëris co- gnoscitur; & aliud quoque quo calor aëris exploratur: huic Thermometri, illi Barometri nomen fecerunt. Quæren- dum præterea mihi proposueram, si quā industria investigari possit, quantum in- sit humoris in aëre, ut ita omnis ejus temperatio accuratè percipi possit. Eo- tum qui in hac domo religiosum seca- bantur institutum, nonnulli addicti erant machinali scientiæ, mecumque vatia communicebantur articia, quibus certa & commoda *Hygrometra* parari posse: hoc enim ipse nomen tribuimus.

Nec es quiquam attinet pluribus describere. Alijs tamum duo instrumenta, à me recognitata ad alios usus, videntur commemoratione diga; tam propter inventionis novitatem, tam propter utilitatem. Horum unum est simplicissime structus, & facilissimi usus: cuius operā quaremagistarea, etiam inaequali, & quantumvis scabra & salebrosa, audiorū negotio, vel à puerō solare horologium describi possit. Alterum fuit hujusmodi, cum apertissimus esset locus, in quo erat, & ventis undique perflaretur, & sepiusque quassatur inter eos, an intus resolvisset, dignus mihi yes visa est attentione & inquisitione. Si qua ratione venti flatus omnes atque motus revocari possent ad mensuram & calculum. Cumque rem diu multumque versarem aperto, ejus conficiendas vias iniicerem, unus sumq. Lurensis sedes posuerat ante aliquod tempus Anglus quidam, nomine Hubinus, vir ingeniosus, atque hujusmodi machinationum peritus opifex & industrius. Hominem adū, & simul atque de vento certis libando ponderibus, suorum numeris adactiade ieiici-

sermonem, ipsa res ei primò, reique hinc
tio cachinno digna visa est, seque per
deridiculum illudi censuit. Ego deser-
ptam à me machinæ figurati deponsi,
in qua venti vis, haud secus quam in
trutina facilè libertari posset: *Anemome-
trum* dicere posses. Hoe quidquid erat
attentè à se circumspetum suffragio contri-
probavit suo, & in opus conferre se velle
dixit; & fecisset, nisi machinamenti iam
inchoati absolutioni mors prævertisset.

Concigit hoc tempore præter exsp-
etationem meam, ut aliqua mihi suborta
sit controversia cum Petro Possino, è
Societate Jesu, de literis præclarè tradi-
rito. Cognoveram enim notas aliquas
ab eo nomini meo fuisse inustas, quod
revereri ceteroquin & colore se profite-
batur, cum de origine Herodis Magni
Aiscalonitat disputaret in scriptioribus
quibusdam suis. Quod postquam amicè
conquestus sum cum clarissimo Fermá-
tio Senatori Tolosano, amico utriusque
nostrum, factum Possinus excusavit
apud me per epistolam, tam prolixæ ad-
versum me volumatis significatione in-
signem, ut levis hæc alteratio verè
fuerit amoris redintegratio. Et quoniā in

argumenti ipsius explicatio literis nostris continetur, quæ palam exstant, plura hīc congerere supervacaneum est.

Sed antequam discedam à scriptorum
searum historia, institutæ hujus narrationis ordo postulat, ut de aliis quoque nonnullis hīc differam, in quibus multum quoque à me operæ positum est. Jamdiu erat, cùm inchoaveram Opus novi argumenti, in re per vulgata quidem, neque tamen antehac nostris literis illustrata, *de commerciis & navigatione Veterum*, plurimaque inobservata ad hanc diem collegeram succisivis horis per otium, animadversione digna. Rudis adhuc quidem moles erat & indigita, vernaculoque sermone descripta: quæ tamen, si cultura accessisset atque ordo, in opus assurgere possit, nec inatile, nec contemnendum: vacuitas modò contigisset à gravioribus studiis, quorum materiam dies suppeditat. Atque ea nobis deinde Dei beneficio concessa est.

Cùm primùm autem ad commentationem hanc animum appuli, jamdudum moliebar grandius quiddam, quo præ cæteris studia omnia mea, meditatio-

tiones omnes referrem ; ad interpretandam nimirum , illustrandam , & exornandam Scripturam Sacram. A prima quippe mea adolescentia , tanta mihi infidebat Libri hujus , vel propter divinitatem reverentia , vel propter dignitatem & meritum existimatio , ut quamvis in mathematicis artibus , vel humanioribus disciplinis alacriter exsultaret juvenilis meus animus & lasciviret , haud cunctanter tamen recurreret ad divinos codices ; quasi peregrinaretur in raliis , domicilium in his posuisset. Nec ulla tamen mihi tum erat Ebraicæ Linguæ notitia , nec ultra Vulgatæ interpretationis angustias diligentiam meam proferebam. Quos postquam cancelllos transfilii , & accessi ad sacros fontes , jam alius se prodidit ori meo divinorum haustuum sapor , cælestiaque mysteria sine velamine intueri mihi visus sum , proque eo quem assidue laborare asscutus sum librorum usu , deprehendi volumina hæc sacra , etsi illis non inesset ea divinitas , quam his contineri certa credimus fide , & ipso penè sensu cognoscimus , tamen vel propter antiquitatem ,

vel propter ingentem singularium, magnarum, & mirabilium rerum copiam, quæ ex immenso hoc penu, nec aliunde peti possunt, dignissimos esse in quibus condiscendis & cognoscendis omnem curam, studium, meditationem & vigilias consumerem.

Repetamus nunc verò ordinem temporis: Præconem Evangelii Alençonii tunc agebat Carolus Ruæus, è Societate Jesu, veteri mihi amicitia addictus. Scripsit ille ad me in Alnetanum exortam esse controversiam inter se & Benedictum, Calvinianarum partium Ministrum, de loco quodam libri *Nehemiae*¹, quem in Genevensi interpretatione deformatum, & adulteratum, atque à nativo sensu deflexum palam asseveraverat. Ad officium suum pertinere duxit Benedictus, vir cæteroquin acutus, nec indoctus, diluere crimen & falsitatis suspicionem à congerronibus suis removere; proptereaque grandem ad Ruæum scripsit epistolam, quam hic solida responsione confutavit; & utramque ad me continuò misit epistolam, rogavitque ut eas pellegerem aitatem, disputationaque

¶ cap. 8. vers. 8.

que ipsam & disputandi argumentum ad arbitrium meum revocarem. Rogant
morem gessi, remque in quæstione pos-
tam expendi accurata dissertatione, quæ
publicis usibus permissa est.

Non multò post, Anno scilicet
MDCLXXXIV. venerunt ad me literæ in
Alnetanum à Francisco Mascarenia, Co-
mite Cœculiæ, è primaria Lusitanæ no-
bilitate. Traditæ illæ fuerant Vlyssipo-
ne, clarissimo Johanni Baptista Torcia-
co, & ad Johannem Baptistam Hame-
lium à Torciaco Literam transmissæ,
à quo eas denuo accepi. His literis
significabat Cœculinus, decantatum à se
carmine Latino Panegyricum Ludovi-
co Magno Galliæ Regi, & in eum in-
sertum quidpiam, quod ad nominis mei
decus pertineret: cuius ne nescius essem,
datam à se operam, ut ad me Poëma
hoc perferretur; ac valde id cuperem se,
& à me contendere, ut aliqua inter nos
jungeretur amicitia. Tum ea subjunxit,
quæ malo ipsius verbis quam meis re-
fere: Gaditanus olim quidam, inquit, T.
Lichii famè germetus ad eum visendi gra-
tia, in Cythara usq[ue] se fertur. Ego vero h[oc]
animi mihi pignorat (Panegyricum) preceps
ad

*ad te volui, brevi quoque venturus, si non
dignum judices quem ames.* Sed tamen
voluntati huic defuit eventus, nec in
Galliam omnino venisse Coculinum
puto.

Feralis fuit hic annus Johanni Eudæo
Presbytero, Francisci Mezeræi fratri,
cùm jam octogenario major esset. Is sin-
gulari sua virtute, & ardentissima pietate,
me ad sui amorem & admirationem
jampridem allexerat. Inanem hic sume-
rem operam, si laudes persequerer ho-
minis, quem infiniti ad promovendum
Dei cultum, & animarum procutandam
salutem suscepit labores, ac piissimæ
etiam & utilissimæ scriptiones, & Deo
carum & Ecclesiæ venerabilem effe-
runt.

Hujus viri sanctitatem, dum in vivis
esset, summâ prosecutus sum observan-
tiâ; & sive privatim ejus fruerer collo-
quio, sive concionantem audirem, acres
pectori subdere sentiebam ad pietatem
faces & languentem excitare. Mémini
me autem aliquando per eos dies, qui-
bus mortem Christi pra recordatione ce-
lebrat Ecclesia, ita ejus adhortatione fu-
se incensum, ut in his quæcetas erupe-
rim;

Quis

*Quis opacam novus horror tenet
ethram?*

*Quid Eoa refagus Sol latet umbra?
Et amicam tropidanti negat orbi dare
lucem?*

*Deus, ebeu! Deus, alta trabe pen-
des:*

*Venerandum rubus asper caput am-
bit:*

*Tibi circum laniatos rigat ater crux
artus.*

*Fera cernens patientem mala natum,
Oculos in media morte natantes,*

*Veteres corde remittit miseratus Pater
iras.*

Tibi nigrae patuerunt loca Lesbes;

Tenebrosus ventientem tremit Oreyus.

*Ita Mundi domitorem moriendo do-
muisti.*

Nova lux en redivivi micat ore:

Super alas Aquilonum gradienti

*Tibi plaudit, tibi cantat superorum cho-
rus omnis.*

Perituræ reparator bonæ gentis,

Ratefac exsulibus limen Olympi.

*Patriam nos repetentes tua cælo vobat
aura.*

In-

Indictis ad Sangermanum Comitiis Ecclesiasticis, pro veteri more, hoc Anno, qui nonagesimus quintus fuit supra millesimum & sexcentesimum, illuc suffragiis Provinciæ Rothomagensis delegati sumus, cum jam in sacrum Episcoporum ordinem fuisse adscitus, ego, & Maturinus Savarius Episcopus Sagiensis. Præfuit huic Confessui Franciscus Harlaeus Archiepiscopus Parisiensis, qui eo post tres menses soluto repentina morte extinctus est.

Postquam compedibus aulicis fueram exsolitus, liberiorque studiis meis patuerat campus, ad repetendas litteras Ebraicas, longo jam tempore intermissionis, mentis impetu converteras, adjunctis quiam Syriacis & Ambicis, quibus juvenis dederam operam non indiligerent, nullo magistro exhibito; cumque scirem non nisi diurno & frequenti usu condisci posse Linguas, ab anno seculi præteriti primo & octogesimo, ad seculi hujus annum duodecimum per unius & triginta annorum decursum, nullum omnino abire passus sum diem, cuius duas tressve horas literaturæ huic non tribuerim; neque negotiis ullis, neque iti-

itineribus, ac ne morbis quidem institutum retardantibus. Cumque Linguam Ebraicam fontem esse intelligere in Linguarum illarum, quas diximus, atque aliam, non vetiam, quarundam, quae per Orientem sunt disseminatae, nec aliud quidquam tantum conferre ad sacrorum librorum intelligentiam, in quorum cognitione elaborare decreveram, quam exquisitam sancte hujus Linguae persicam, in qua evolutionis ipsorum codicium Ebraicorum affluat tractatione hauritur, continuum & confidem us versandis operari: impendere institui; tamque expertissimi constantia, ut quater & vigesies rotundis ab capite ad calcem, hactenus vpusplicatus simon. Quoi sacre paginae beatitudini nullius ad propiciandam rerum sacrarum notitiam moresque informandas studior est, ita ad capessendas humaniores disciplinas nulla conducibilior, nulla mihi certe jucundior.

Dum his vacarem studiis, humanitatem expertus sum excellentis viri Johannis Pearsonii, qui Suffragantibus doctrinae & virtutum suarum meritis Cefniensis Episcopus est creatus. Hujus cura effectum est, ut ex veteris codicibus,

cibus, Holmiensi & Venetis, quibus
continebantur scripta quædam Origenis,
variantes excepserentur lectiones, &
Opera Thomæ Belkii, doctissimi itidem
viri, ad me mitterentur. Speraveram
quoque futurum ut eorum favore, ex
Anthologiarum vetusti Astrologi, à me
jam memorati, Vettii Valentis Antio-
cheni codice, qui Johannis Seldeni fuit,
suppleri possent lacunæ exemplaris mei,
quod olim in Dania descripsoram, ut
suprà à me notatum est; sed neque tu-
tò mitti illuc poterat liber meus, neque
postulandum erat, ut suum illi maris
& viarum periculis committerent. Ne-
que verò erat, acui potiusque codicis
coincidenti laborem impónere aut pos-
sem aut vollem. Itaque res exitum non
habuit.

Eamdem quoque in iis, quæ me tum
exercebant, lucubrationibus præstare
pergebat operam Franciscus Combes-
sius, e Dominicanu Ordine, quam
multò jam antè in exornando Origene
mihi præstiterat. Erat ille Græcarum
literarum & antiquitatum Ecclesiæ ap-
primè sciens, plurimorumque Patrum
editione celebris; atque corum etiam in-
ter-

interpretatione, fideli quidem, sed stylo tamen tam incondito tamque horrido elaborata, ut cum eam saepe legerem, nec intelligerem, ad exemplar Græcum mihi esset recurrentum, & Auctor ipse fieret mihi Interpres Interpretis. Is manuscriptorum Origenis codicum investigaverat latebras, mihique indicaverat, ac fidelibus me monitis juverat & consiliis. Cumque ex his collectaneis, quæ Catenæ appellantur, & ex libris Patrum hinc inde excerptæ sunt & contextæ, ea feligere instituisse, quæ provenerant ex Origeni, & jam multa mihi se posuisset, tantam in iis deprehendi perturbationem rerum, verborum, & nominum Auctorum, omniaque tam incerta fide administrata, ut abjectis Catenis incepsum opus deserere coactus sim. Nec his tamen absteritus est Combefisius, quemvis rem susciperet absconditum. Hinc prodiit volumen ingens Origenianorum excerptorum, quod penes me est, quodque conditum servò, tanquam certissimum diligentia ipsius & amicitiae erga me monumentum.

Mirandum vero patitur modestia mea que scripsi officium hoc tempore præstitum

358 PETRI DAN. HUETI
stitum à me domui Collegii Cadomen-
sis Societatis Jesu, in cujus sinu edu-
ctum me fuisse memineram. Hoc cùm
frequentaret egregia juventus, lectissi-
misque floreret doctorum hominum
præceptionibus, erat tamen angustis fi-
nibus conclusa domus hæc, neque ido-
neum præbebat spatum, quo conseri-
hortus facile posset. Splendido præterea
nuper aucta fuerat & decorata templo,
sed quod alieno loco minúsque oppor-
tuno positum horti variis subtractioni-
bus dissepti amœnitatem omnem usum-
que intercipiebat. At ego homines de
commodis suis parùm sollicitos submo-
nui, muris ipsorum subesse amplum pu-
blici juris aggerem, nullius omnino
usus, & otiose tantum plebeculae am-
bulationibus opportunum: si septis
corum acoresceret, magno ipsis fore ob-
lectamento, magno domini ornamento.
Caussabantur illi, & pudorem suum niv
postulando, & difficultatem in impetrando.
At ego increpito pudore illo sub-
iustico, & totius curam & exitum in
me recepi. Itaque quidquid vel audori-
tate poteram, vel consilio apud commu-
nem civitatis, sumque urbis & arcis
causulis

Præ-

Præfectum, poteram autem plurimum, studiosè in id contuli & perfecique tandem, ut grāndi hoc adjecto incremento, quod & suavissimum in patētes campos ac subiecta prata & profluentis Olenæ alveum præbet prospectum, incunabula hæc mea amplificarentur plus dimidia sui partē, tantumque hūic hor-
to accesserit amoëntatis, ut nihil oculis objici possit jucundius. Atque ita non exiguum institutionis mæ minerval mihi visus sum Magistris meis persol-
visse.

Jam quatuor abierant anni, postquam emiseram in lucem *Demonstrationem Evangelicam*, cùm Longini libellum *De sublimitate*, Gallicè à se redditum, iterata editione divulgavit Nicolaus Boelæus Pratellius. Scripserat ille Satyras, perfacetas illas quidem, & felici numerorum lenocinio auribus insidiantes; at male dicentissimas, turgentēs succo lo-
liginis, & mera ærugine infectas, qui-
bus bonorum & clarorum plerorumque
virorum prescindebantur nomina, fama
obtrebatur. Hac arte magnum adeptus
erat nomen apud vulgus, quod maledi-
cum & ipsum est, & obtrrectatione de-
lecta-

lectatur. Ego verò eo Operis mei capite , quo ad probandā Mosaïcorum librorum antiquitatē , Auctōrum veterum p̄texueram sēriem , qui à Mōsis ētate ad recentiora Christi tempora Mōsem ipsum scriptis cōcelebrassent suis , Longinūm iis adsciptisēram ; hāc tamen addita notatione , locū Mōsis ab eo recitatum nullum præ se ferre sublimitatis vestigium ; sublimem quidem esse rem his verbis expositām ; at narrationis modum simplicem ēssē , omniq̄ue ornātu cārēre ; ac propterea vērisimillimum mihi fieri , non ex ipso Mōsis fonte , sed ex recentiorum Scriptorum lacunis hausta hāc à Longino fuisse . Imminutam hac observationē Longini fui dignitatem & existimationem opinatus est Pratellius , & in nova Satirarum fuarum editione illatam Longino injuriam contumelioso adversū me contumelio aduersū captū ultus est . Ut id autem cognoveram ex indicio Montauserii , maledicentiæ Pratellianæ valde infensi , scripsi ad eum epistolam , quā & meam de Longini loco approbavi sententiam , & vēsanam Pratellū contumaciam compressi . Neque hāc famē

tamen publici juris facere, sed intra Bibliothecæ meæ claustra continere omnino decreveram, cùm post viginti tres annos per rimas proripuisse eam sese accepi, & in manus Johannis Clerici, viri eruditionis laude percelebris, nescio quo casu, quave ope, certè non mea, Amstelodamum pervenisse. Is verò, pro ea qua pollet perspicacitate ingenii, & adhæsit opinioni meæ, & epistolam meam inferuit *Selectæ suæ Bibliotbecæ*, novisque argumentis, acutis oppidò & solidis, confirmavit. Indignatus ille maledicorum Poëtarum princeps Pratellius, audere quemquam dissentire à se, gloriæ & ignominiæ literariæ omnis arbitro, omne virus suum, ante mortem collectum & paratum, amicis suis in Clericum reliquit effundendum. In quo tam bona fide obsecundavit illi procax hæc factio, ut probra probris cumulantes, nimia Pratelli moderationis visi sunt poenitere. Quantum hunc ergo de nativa sua petulantia, de convitiis atque obtrectatione putarunt comparsisse, tantum illi de suo largiti sunt, meque ferali conflictantem morbo, & animam propè agentem, veneno suo consperserunt in

Q

du-

nupera Pratellianorum Operum editione.
 Sub initia dissidii hujus, post seme-
 stre in Alactano commemorationem,
 commodum Lutetiam redii, cum frue-
 retur Aula Fons-blandii deliciis. Hinc
 accepi literas à Montauserio ¹, quibus
 pantiabat designatum fuisse mo Episco-
 sum Suectionensem à munificentissimo
 Rege. Cui oneri, vel Angelicis hume-
 ris formidando, infirmitatis meæ mihi
 eoascius, cum valde imparem esse me
 sentirem, eò gratori animo beneficium
 hoc Regis accipiendum duxi, quod
 præter spem meam in me incogitantem
 fuisset collocatum; remque ita interpre-
 tandam, Dei nutu & consilio, res hu-
 manas, Regisque animum, & ipsam
 potissimum Ecclesiam arbitrio suo mo-
 derantis, eam contigisse. Quamobrem
 negotiis omnibus alijs tantisper sepositis,
 ac suavissimorum etiam studiorum in-
 tressu usu, in id cogitationes omnes
 curasque contuli, ut me ad pensum
 meum revocarem, & assignatum à Deo
 manus piè fideliterque exsequerer. In-
 certe igitur proximo vere Augustam
 Suectionum adii, Dioeceseos propriùs in-
 spi-

¶ An. 1685.

spiciendæ , & loci ipsius perlustrandi caussâ , in quo mihi esset elaborandum , & ut pro boni Pastoris officio cognoscerem oves meas , & ab eis cognoscerer . Graves intercedebant hoc tempore controversiae , Curiam inter Romanam & Francicam , cuius caussas commemorare nunc quidem nihil attinet . Hinc effectum est , ut omnis penè negotiorum ratio inter utramque Curiam tolleretur , septemque toti abierint anni , postquam Successionensis Episcopus designatus sum , per quos Pontificiarum literarum exaruit omnis proventus atque concessio , vanumque Episcopatûs titulum gerens , omni ejus exercendi jure caruerim ; jùm magna interea exsisteret Ecclesiasticarum rerum conturbatio ; neglectis passim & desertis piorum gregibus , & successione Pastorum intermissa . Quod et si summo mihi dolori fuit , totique adeò Gallicanæ Ecclesiae , hoc tamen inde cepi commodi , quod per longinquitatem temporis tolerabiliores mihi fuerunt gravissimæ illæ impensæ , quas postulabat novæ hujus dignitatis accessione . Enimvero in magnas incidisse meum sensi rei nummariae difficultates ,

Q 2

in

in infinitosque admittendos esse sumtus, si modò impositam provinciam sine sordibus ac dedecore administrare vellem. Ante omnia impetrandum mihi erat Apostolicum Diploma, & ingenti pretio à Mensariis Curiæ Romanae redendum. Quorum ille, cui rei gerenda curam commiseram, pessima mecum fide egit, summaque rapacitate & nequicia: per improbam enim fraudem & animadversione dignam perfecit, ut non nulli sibi de meliore nota commendati, novissimè à Rege ad Episcopatum designati, præ me tamen, eosdem titulos ab aliquo jam annis gerente, Diplomata sua Romana auferrent, supremisque ceremoniis consecrati prægrediendi mihi jus obtinerent. Capitale hoc facinus alio non dissimili cumulavit: nam cùm officiū duxisse esse mei *Demonstrationis meæ Evangelicæ* exemplar offerre summo Pontifici, magnificèque illud compingi & exornari curassem, totiusque negotiū procurationem nefario huic homini permissem, munus ille nostrum convertit in suos usus, meque sperata Pontificis gratia & approbatione fraudavit.

Vx-

Venit ad me per hos dies juvenis non ineruditus & literarum Græcarum imprimis studiosus, religiosi Ordinis ex eorum familia, quæ Pœnitentes appellantur: Anselmus Baudotius nomen illi fuit. Emenso is philosophico curriculo, parabat publicas disputationes, pro recepta consuetudine, ad quas sermonem tantum Latinum adhibere designatus, Græco etiam uti voluit. Cumque ad scisci soleat literarii hujusmodi certaminis arbiter, non alium præfici optavit muneri huic, quam qui & Linguæ Græcæ non esset inscius, & Episcopali dignitate præditus esset, meque ad id delegit. Magno res apparatu, magno etiam concurru & applausu transacta est. Praeclaram inde spem de se ille excitaverat inter suos; cum iter in Italiam infaustis ab eo suscepimus auspiciis, libertatem ei primum, deinde & vitam eripuit. Interceptus enim à piratis, & Tunetem delatus, & in vincula conjectus, ferali illie peste correptus interiit.

Jamque de septem illis annis effluxerant quatuor, postquam Sueßionensis Episcopus dici cœptus eram, pro more apud nos recepto, quo non exspectata

Q. 3. fol. 80. fo.

solemni consecratione ab Episcopatu destinato petitur nomen, cùm clarissimus Abbas Fabius Brulartius Sillerius ad Episcopatum Abrincensem promotus, crebrò me per amicos interpellavit de postulanda à Rege facultate Episcopatus utriusque inter nos permutandi; causatus & patriam meam Cadomum Abrincis, & suam Sillerium Augustæ Suefionum esse finitimam; atque ita in patriam suam utrumque nostrum esse rediturum. Quod ut mihi persuaderet facilius, operæ suæ minime parcendum ratus, venit ipse ad me in Alnetanum; quæstisque argumentis, & amicorum intercessu imprimisque Segraesi, necessariū sui, familiæque suæ multis décaussis addictissimi, quem datā operā illuc acciverat, & Caroli Rusi Jesuitæ, qui tum forte rusticabatur apud me, pertinaciam meam expugnavit, manusque tandem dedi¹. Curredam rescriptorum à Rege impetrando-rum in se suscepit Brulartius, reque ab eo ex animo confecta, statim ipse Abrincas sumi profectus, perspectoque rerum statu, plurimum mihi laboris & sudoris paratum illic esse intellexi. Crebras

I An. 1689.

bras igitur illuc itiones suscipere necessè habui per tres annos; quoad compositis Romam inter & Galliam rebus, Pontificioque imperato Diplomate, Episcopus Abrincensis creatus sum¹, & solemni ritu consecratus. Pactis inter nos constitutis per tres annos stetit Brulartius: at eorum demum pertæsus, caussas ex alto petere coepit, cur impositas sibi leges, sponteque susceptas detrectaret. Jamque ad summi Senatus tribunal spectabat controversia, cùm illustrissimi Præfules, Rhemensis, Meldensis, & Trecensis, amica eam compositione diremerunt. Provinciam hanc administravi per decen- propemodum annos, nihilque mihi fuit antiquius, quām ut collapsam Dioceſeos tanto jam tempore Episcopo carentis disciplinam in integrum restituerem. Quamobrem mature expensis prisorum Antistitum legibus, quæ Statuta Synodalia vulgò appellantur, &c aliis undecunque collectis, novas ipſe condidi, ac ritè promulgavi. Cūque progressu temporis notior in dies mihi fieret commissus grex, & ea quæ ex usu erant accuratiū procuranda, in Comitiis Dioce-

Q 4

cc-

I An. 1692.

cessos, singulis annis convocari solitis, exorientia mala novis institutis coērcebam. Ac demum experimento meo compéri, infinitos ei labores esse propositos, vixque humana ope exantlandos, quisquis Episcopatum pro dignitate administrare vellet, animarum saluti invigilare, vitiorum stirpes elidere, virtutis studium promovere, pietatis & religionis integratatem tueri, seque ipsum in eos mores effingere, qui vitæ norma toti gregi futuri sunt.

Sed & ad reliquas quoque res Abrincensis Ecclesiæ, quarum in me cura collata erat, inspiciendas, posteaquam oculos quaquaversus circumtuli, cognovi Carolum Marcatellum Santevremondium, ad meū gregem pertinere. Jamdiu autem exsulabat ille in Anglia, quò concesserat Aulæ frigore ictus, propter immoderatain dicacitatem suam, ac metuens etiam graviora. Ego verò probè memor, id esse boni Pastoris officium derrantis oviculæ vestigia persequi, repartam & humeris impositam ad ovile reportare, scripsi ad Henricum Justellum, amicum utriusque nostrum, Londini tunc agentem, rogavique adi-

ccc

vet Santevremondium meo nomine, ex-
citarerque in eo revisendæ patriæ desi-
derium; ac porrò adderet, posse me for-
taffe, amicorum interventu & prensatio-
ne, jus ipsi postlimimi & redeundi ad
fuos licentiam impetrare. At ille tam
altas egerat in Anglia radices; ut Gal-
liam penè dedidisse videretur: effœtæ
præterea senectutis imbecillitatem cau-
fatus, illuc mori se ac sepeliri velle
dixit.

Ego verò piis Episcopatus officiis ob-
eundis immori certus eram, si non cæli
inclemensia, & noxius erudæ aquæ per
cavas & filiceas rupes defluentis rigor,
atque hinc enati sævissimi alvi cruciatus
me inde tandem abegissent. Adeò ut to-
to postremi biennii à me illuc transacti
tempore omni aquæ haustu fuerit absti-
nendum. Quibus intellectis Rex opri-
muis, non modò abdicandi Episcopatus
mibi concessit facultatem, sed etiam pro
summa sua benignitate Fontanetenfi
Abbatiae me præfecit, ne rei familiaris
angustiis obscurata mea dignitas sorde-
sceret. Tunc autem in patriam mihi vi-
sus sum postlimino rediisse: Fontane-
tenfi. Q. 5. 1699. tum
An. 1699.

tum enim, ad fluvium Olenam situm,
Cadomo patriæ meæ finitimum est, ja-
cetque ad alterum lapidem; atque illic
portum senectutis meæ sperabam me re-
perisse; nam locum frequentaveram
magna voluptate per adolescentiæ meæ
tempus, crebro illuc invitatus à clarissi-
mo Abbatæ Gulielmo Bœvinio. Itaque
ad Abbatiales ædes farciendas, exornan-
das, & necessaria supellectile instruen-
das, hortosque excolendos adjeci ani-
mum, nec operæ aut sumptibus pepercí.
At serò tandem intellexi, longè aliam
videri faciem loci, quem in transcurso
adspicias, atque ejus in quo sedem po-
nas. Ac veteres etiam amicos atque af-
fines, qui circumjectos incolunt agros,
& ex quorum vicinitate societatis speri-
veram conjunctionem ac solatium, eos
præ cæteris infensos habui. Ea est ho-
minum perversitas, ut quem absentem
vel diligent, vel diligere se fingant,
præsentem hunc palam aversentur. Ac-
cesserunt infinitæ lites, illatæ mihi un-
dique, cumque iis præcipue disceptan-
dæ, vel qui ædium Abrincensium quas
reliqueram exigebant à me facta tecta;
vel à quibus ea ipsa exigebam illarum
ædium

ædium quas obtinebam, In quo nonnullam expertus sum inclemenciam Francisci Casæi ¹, è Societate Jesu, (quid enim dissimulem?) quo ad sacras confessiones Rex utebatur. Cùm enim pro veteri amicitiæ nostræ jure, proque ea auctoritate, quâ pollebat apud me, has controversias ad arbitrium suum revocasset, eâ in me usus est duritiâ, ut non ulla uspiam major rebus meis illata sit calamitas, quamquam quâ per eum affectua sum. Difficilem verò imprimis se præbuit is, qui successor mihi datus est, cùm non successorem, sed hæredem datum se mihi credere; adeò avidè & præfractè bona is mea omnia sibi vindicabat. Huic & novæ illius insectationis socium se addidit Brulartius, si quo modo pristina nostra conventa posset rescindere. Quod frustra ab illis tentatum est. Sed levia tandem hæc fuere præ pertinacissimis illis contentioneibus, quibus me per totos decem annos exercuerunt conductores redditum ex prædiis meis progenientium, nec nisi multorum Señatus consultantum auctoritate, & obsti-

Q:6

nata

2 De la Chaise. 2 An. 1699. 3700.

nata mea constantia ex his tricis expedire me potui.

At juxta vetus adagium, fumum fugiens in ignem incidi: ille enim ipse, quo ad pestem hanc à me depellendam fueram usus, cuique curam totius rei meæ familiaris permiseram, consanguinitate conjunctus, & certâ, ut sperabam, multorum annorum benevolentia, summisque per me beneficiis affectus, ita grassatus est in meam perniciem per occultas molitiones, ut nisi maturè fraus esset à me certis indicis deprehensa, & aequis Judicibus patefacta, per eosque vindicata & repressa, evertisset me bonis, pessumque dedisset.

Libentissimo animo nomen hinc inferram Judithæ Barberiæ Tiliacæ, matronæ lectissimæ, omnique laude dignæ, cùm ob suavitatem indolis, & integratatem morum; tùm multò etiam magis ob sacræ antiquitatis & Ebraicæ Linguae peritiam, quam tamen singulari modestia dissimulabat. Quamvis enim à primis ætatis nostræ annis magna fuisset inter nos familiaritas, frequensque vitæ usus, quibus primos gradus fecerat vicinia; studia tamen hæc sua tam caute

me

me celaverat, ut nihil in ea supra captum mulierum reliquarum suspicarer messe. Nec antè arcani illius me fecit participem & consciū, quām profuga in Hollandiam, Religionis caussā; multa me per literas rogītans super obscuris plurimis sacrorum Codicum locis, ipſe prodiſſet. Ac fanē viget apud me, vigebitque, quoad fruar lucis hujus usurā, tanta virtutis, tamque sinceræ amicitiæ recordatio.

Cùm primū in Fontanetano meo pedem fixi, venit illuc Johannes Mabilioniū, Benedictinus Monachus, non tam vifendi mei, quām tabularii Abbatiae hujus perlustrandi gratiā, veterumque Chartarum, ut parata haberet, unde sumeret materiem Benedictinæ Historiæ, quam susceperebat elucubrandam: ac optassem sanē detinere apud me per dies aliquot hominem mihi perfamiliarem à multis annis, tum & Ecclesiasticæ antiquitatis valde peritum, longaque vetustiorum tabularum & diplomatum tractatione & usu doctissimum ætatis hujus & scientissimum existimatorem. Nec ipſe nolebat moram aliquam apud me facere: sed cunctantem eum Ordinis

Q 7

fui

sui negotia Lutetiam revocabant.

Magna mihi fuerat à prima mea juventute cum Ezechiele Spanhemio necessitudo; delectabamur enim iisdem studiis, & perspectam viri humanitatem & benevolentiam magis magisque demereri conabar omnibus officiis. Itaque nec temporis longinquitate, nec intervallis locorum, nec occupationibus planè diversis, sed sola hominis morte sincera hæc & fidelis animorum conjunctio dirempta est.

LIBER : SEXVS.

POstquam composita erat diurna-
hæc discordia, quæ Sanctæ Sedis
Romanæ & Ecclesiæ Gallicanæ con-
fessionem dissociaverat, spesque mihi
facta fuerat Pontificii Diplomatis impe-
trandi, quod pro Abrincensi Episcopatu
magno fuerat pretio redimendum,
postulaveram per literas ab aliquot Car-
dinalibus, ipsoque adeò summo Ponti-
fice, ut gratis hæc multa vel remittetur.
Fuit in his Iosephus Sanzius,
Cardinalis de Aguirra, Hispanus, ho-
mo Theologieis doctrinis luculenter in-
structus, ac præclaris etiam scriptioni-
bus de Ecclesia optimè meritus, & per
Hispaniam egregium nomen adeptus.
Respondit ille sine mora, valde se de-
lectatum esse meis literis, per quas spes
sibi affulgeret aliquanta posse jungi inter
nos necessitudinem & consuetudinem li-
terarum, quod & jam antè concupivis-
set à multis annis, palamque significas-
set in libris à se olim in Hispania editis,

An. 1703.

cum judicium de me suum aperte expressisset. Addebat præterea, si res ex voto suo fluarent, sperare se venturum rae aliquando in suos complexus; seque & collegas aliquot ac conterraneos suos in id vel tum maximè incumbere, ut dignitatis suæ participem me efficerent; remque jam antè fuisse summo Pontifici propositam, & cum eo disceptatam; non repugnare illum quidem, sed externarum gentium æmulationem reformidare, obtricationem, & querelas; nec idcirco tamen vel se vel sodales suos de studio suo quicquam remissuros; immo usuros apud eum tam assiduo efflagitatu, tantaque contentione, ut etiam si faxeus esset, vel etiam siliceus, (verba ipsa referto) suum tamen à se extundi consensum esset passurus; rem modò, reique eventum Deo esse commendandum. E quidem de me, Deo teste, profiteri possum, nihil me ferè aliud quidquam spexitavisse in eo negotio, quam prolixam optimi hujus viri, Hispanorumque Cardinalium erga me hominem Gallum, inimica tum quidem sibi gente ortum, voluntatem, tamque amicum de me & honorificum judicium; neque dignitatis hu-

hujus, quantumlibet amplæ, fulgore oculos unquam meos fuisse valde perstrictos. Maximis ergo gratiis actis, ac majoribus etiam habitis, tum ei, qui primus consilii hujus auctor extiterat, tum & aliis, qui ejusdem fuerant participes, rem totam ad supremum Dei arbitrium retuli. Videbaturque res speratum exitum habitura, id erat Aguiræ studium, is ardor, nisi assiduos ejus conatus gravis morbus compressisset: cuius levandi causâ cùm Neapolim concessisset, Medicorum obsecutus consiliis, illic demum post diuturnum languorem re infecta extinctus est.

Interea implicitum me quoque sensi morbo difficulti, quem invaletudinem potius ac debilitatem appellasses. Nec pigebit causam ipsius hîc referre; ut quisquis hæc legerit, exemplo meo cautior fiat. Tam acri pedum frigore tentari solitus sum per hyemis tempus jam inde à puero, ut nisi id calore depulifsem, insomnes prorsus noctes mihi essent transigendæ. Calorem igitur petere studebam extrinsecus, ad idque stanum vas adhibebam, ad cucurbitæ formam figuratum, & in hos usus paratum,

tum, cujusmodi multa prostant in officinis. Impletum id ferventi aqua condebatur intra lectum, qui temperato hoc vapore tepefactus, corpus frigidum excipiens blando æstu recreabat, fovebatque per noctem, & molliter calefiebat. Jamque per multas hyemes usus eram hoc fomento, quoad humido illo calore affecti primùm sunt crurum musculi atque nervi: adeò ut sub initium veris Alnetanas inambulationes repetenti mihi labarent genua, debilitatique poplites vix corpus sustinerent. Atque ita luxata demum est cruris sinistri compages, ut ossa illa duo, quibus ea coagmentata est, sedibus suis sint emota, ita ut sura, quæ superior est, saepe disjungeretur à tibia, acerbissimosque cieret dolores, meque velut hærentem in vestigio cogeret subsistere, & progreди longius omnino vetaret. Atque id tum fortè contigit, cum mihi assignatum est Episcopale munus, à quo penitus arceri me hac infirmitate sentiebam. Primus mali caussam sagaciter deprehendit Antonius Menjotius, solertissimus Medicus, mihiique perfamiliaris; cum foriè mecum adfuisset eo tempore, quo fer-

vens

vens hæc aqua lectulo meo inferebatur: certissimumque malo huic remedium à Borboniis fontibus petendum esse submonuit. Viri sapientis & amici obsecutus sum cōsilio: Borbonium adii. Salutaribus illis aquis, & epotis, & corpori meo per canales effusis, luculententer proluetus, non modò quam quæfiveram pristinam recuperavi cruris firmitatem; sed etiam quam minimè spe raveram valetudinis affecte restitutio nem. Cùm enim per molle sedentariæ vitæ otium intestina obduxisset magna viscidae pituitæ copia, ex eaque putrescente erumpentes noxiæ vaporess cor & cerebrum percellerent identidem, ac leves nonnunquam febriculae accessiones excitarent, noxious ille mali fomes efficaci aquarum intima pervadentium vi de pulsus est. Cujus simile quippiam memini me legisse Justo Lipsio olim evenisse. Postquam igitur aquarum illarum salubritatem semel expertus sum, tuedæ adversùs ingravescen tem ætatem valetudinis caussâ, saepius ad eas decrevi configere: consentientibus Medicis, non primis aquis statim expugnari morbos; sed iisdem iterum tertiumve repetit is.



titis. Ergo non jam ad sanandam debilitatem crurum , sed valetudinis confirmandæ caussâ , intra septemdecim annorum curriculum , septies illuc quæsitus ivi medicinam. Cùm primùm illuc veni , valde severas vivendi leges ægris præscribebant Medici : abstineri jubebant omni fructuum efu , omni usu Librorum. Quibus si paruisse , non valde quidem firmior , at multò certè tristior abiisse quam veneram. Nihil itaque remisi de vitæ consuetudine , nihil de studiis , nihil de quotidiano victu , neque idcirco sanè minus bellè me habui. Atque hoc exemplo inducti , meliusque consulti , qui tum aderant , ægri austera Medicorum imperia jam inde retractare cœperunt.

Erat illic tunc quoque decora & modesta puella , cuius laudes carminibus meis celebravi , Maria Elisabetha Rocca-Choartia , in contubernio amicæ suæ Fontebaldensis Antistitæ , cui & Borbonii itineris comitem se dederat. Nec pigebit de ea referre quippiam , unde virtus ejus æstimari possit. Cùm cœsumus Borbonii , solam illam quadam die in intimo secreti conclavis angulo delitescens-

tescentem offendit; cum sociæ reliquæ omnes, vel lusibus vacarent, vel festi-vis sermonibus atque jocis. Librum autem illa tum legebat attentè, quem occultare festinanter conata est, simulatque venientem me adspexit. At ego Librum velle me videre præfractè denun-tiavi, ac vim etiam adhibitum si re-pugnaret. Ægrè quidem illa ac mul-tùm reluctans paruit urgenti, nec sine magno rubore; at paruit tamen, Li-brumque protulit, Platonis aliquot Opuscula complexum, ex Græca Basiliensi editione; petiitque etiam atque etiam, ut rem omnem silentio preme-rem, Critonemque Platonis, quem legere occœperat, ad calcem unà secum decurrerem, quando me illuc casus tu-lisset. Quod & factum est à nobis; cum ego interim stupore & miraculo rei defixus hærerem; tantum inusitatæ eruditionis, tantum modestiæ, in hoc sexu & in tenera hac ætate deprehen-dens. Verumtamen hæc virtutum ipsius minima sanè pars fuit.

Borbonio profectus cum Avarico Bi-turicum iter facerem, officiosè venerunt

ad

ad me salutandi caussâ Professores Juris, cuius studia floruerant à multis annis in hac urbe. Multus nobis de iis habitus est sermo; atque imprimis de æterno Academiæ hujus ornamento, Jacobo Cujacio. Mirari me verò dixi, quid causæ esset, cur pateretur tam ampla tamque nobilis civitas extinguiri apud se memoriam excellentis viri, qui Bituricum gloriam tam latè propagasset; cùm ejus sepulcrum, quod hoc ipso adiveram die, nullo epigrammate, nullo elogio, nullo marmore decoratum vidissim; proptereaque me eos magnopere adhortari, hoc ut rependerent humanitatis officium memoriae hominis, de literis, de scientia Juris, de Academia hac, de civitate Bituricensi tam præclarè meriti; ad me verò etsi res minus, vel nihil potius attineret, collatrum tamen libenter partem impensarum ad exornandum sepulcrum, si modò reliqua suppeditandi, operisque absolvendi curam atque sumtus in se vellent recipere. Visi sunt illi probare id quidem, remque sperabam optatum exitum habituram. Neque de eo tamen quicquam ad me perlatum est.

An-

Antequam revolarem in Alnetanum, amoenissimam studiorum meorum sedem, adire constitui celeberrimam puellarum Fontebraldensium Abbatiam, cui tum prærerat, torique adeò Ordini, cui à Fontebraldo nomen est, singulari pieta- te, præstantia ingenii, morum elegan- tia, cæterisque virtutibus ornatisima Virgo, ea quam dixi Maria Magdalena Gabriela Rocca-Choartia. Acceserat erudi- tio supra captum ætatis atque sexus, quam modestiæ involucris ita obduxerat, ut propè eam puderet doctam esse. Mihi autem jara inde ab ipsius pueritia erat cum ea necessitudo, quam sancte colueram omnibus officiis, & assidua li- terarum consuetudine. Veneram Bor- bonum in ejus comitatu; at illa, domus suæ urgentibus negotiis, Fontebraldum reverfa, profectionem meam diebus aliquot antevertit, quo & me venturum, cum Normaniam repeterem, fuerat in- ter nos constitutum. Contendi itaque ad eam, arrepto per Bituriges & Turo- nes itinere. Cumque Chinonum ur- bem venisse ad Vigennam fluvium, & in publicum diversorium suissem de-
tus,

latus, hanc fuisse comperi Francisci
Rabelæsii, perfaci et illius scurræ, inge-
niosa dicacitate famosi, natalem domum;
ac miratus sum sanctè ita rem cecidiisse,
ut caupona fieret illius domus, qui cau-
ponæ gaudia totis celebrasset libris, &
omni vitæ tempore sectatus esset.

Redux ab itineribus solebam in Alne-
tano conquiescere, mentemque longis
dissipatam peregrinationibus, & in va-
rias cogitationes distractam, uti superiùs
jam dixi, ad Dei rerumque cœlestium
contemplationem piis exercitationibus
nonnunquam revocare; utebarque ad id
operâ Urbani Mangotii, è Societate Je-
su, veteris amici mei, quo rerum ad vi-
tæ sanctitatem pertinentium, & ad ani-
marum salutem, noveram peritiorem
neminem. Atque ita ab humanis curis
liberam mentem, & à mundi segregatam
commerceo facilius ad pietatis stu-
dium traducebam. Vti hoc tempore à
me factum est, cum hominem in Alne-
tanum accessivissim.

Eadem quoque me ad repetendum
Philosophiae studium, artium omnium
procreatrixis, mihi à prima adolescencia
cukum, nec unquam intermissum, ex-
acuere

acuebat solitudo ; in eaque me ita rerum
præstantia summâ voluptate retinebat.
Mirabar autem efferentem se tum maxi-
mè Cartesianam Philosophiam, vel po-
tiùs corruptelam , quæ ætatem hanc in
desidiam bonarumque literarum despe-
ctionem prolapsam infecit : specie qua-
dam novitatis , apud homines præsentim
penitus ignaros veteris Philosophiæ; et si
recens illa nihil ferè attulit hovi. Pluri-
mum quoque ad ejus existimationem
contulerunt studia dissidentium partium:
cùm aliæ Peripateticam tuerentur doctri-
nam, à multis jam seculis in Scholis
receptam ; alii eam pessimum dare conabar-
tur & extinguere ; futurum rati, ut
una quoque patronos ejus & defensores
in contemtionem adducerent. Quamvis
autem suis quoque laborat vitiis Aristoteli-
ca disciplina, quæ excusare velle ho-
minis sit inverecundi, vel imperiti, mul-
tis tamen partibus eam quisquiliis Car-
tesianis antecellere fatebitur, quisquis
utrumque attentè introspicerit. Cùm
Cartesium autem gravibus argumentis
oppugnare instituisse eo Opere, de quo
actum est superiori libro , operatum est
ad me, dum rusticarer in Alnetano, in-

surrexisse adversus Dissertationem meam
 examina Cartesianorum , ut est proea
 hæc factio , & omnis contradictionis im-
 patiens , & in his præcipue Franeker-
 sum quemdam Professorem , Johannem
 Schotanum , qui tanta ferocitate cau-
 sit hujus patrocinatus est , ut existi-
 masse videatur , canino ritu latrare , &
 atrocibus pugnare maledictis , id esse
 strenuè & splendidè philosophari . Quam-
 quam accepi ab ipsis Academiæ Curato-
 ribus , tantam hominis immanitatem ,
 ac potius furem , valde improbase
 ipsius gregales , totamque Academiam .
 Nec multò modestius se gessit Petrus
 Callyus , de quo jam superiùs actum
 est à me , familiaritate olim mihi multis-
 que officiis devinctus , qui diu Philoso-
 phiam docuerat in Scholis Academiæ
 Cadomensis , antequam ullâ Cartesianæ
 Philosophiæ aurâ fuissest afflatus . De qua
 multa me differentia cùm audiret sœpe-
 auero , tūm cùm interesset philoso-
 phicis hisce disputationibus , quæ apud
 me institutæ celebrabantur , insinuavit
 se ipse quoque in disciplinæ hujus ady-
 ta ; tamque vehementi ad eam studio
 exarsit , ut tradita à se tot annos præce-
 pta

pta & dogmata palam ejusmodi; neo aliud quidquam creparet, vel in publicis electionibus, vel in privatis colloquiis, quam Cartesium. Quod & tam inconsideratè tamque licenter ab eo factum est, ut cum serum sacerarum attingeret doctrinam, minime temperaret, sibi quin eam quoque respergetet Cartesianis commentis, & corrumperet. Atque id ipsi demum noxae & dedecori fuit. Ac postquam intellexit à me palam oppugnatum esse Cartesium, initam inter nos & cultam totijs amicitiam ita deposuit, ut non modò vetus illa nostrā deinceps penitus intercidet consuetudo, sed intemperanter etiam linguae suae morigeratus, nonnulla effutierit & se & me parùm digna.

In eodem versatu argumento Johannes Eberhardus Schweiingius, Professor Bremensis, modestiorem se adversum me præbuit. Et hunc & minutos alios plerosque hujus farinæ Philosophos, ejusdem vesaniae confortes, proclive erat argumentis confutare. Sed quis futurus erat tandem disputandi modus? At sententia sue adversarios facile passus erant Jacobus Rohaltus & Clau-

dius Clerfellerius, magna Cartesianæ
Sectæ columna, quorum & hic aliquæ
me prosecutus fuerat amicitia. Alios ego
quidem ex Philosophia fructus capere
solitus, quam obrectandi & maledictis
certandi artem, jacta in me convitia fa-
cile contemsi, & silentio altus sum; nec
vanas & futilles argumentationes de tri-
vio, deque Scholarum pulvere petitas
ulla omnino responsione dignatus sum.

Jam diu vero erat, cum se Cartesianis
partibus addixerat Benignus Bossuetus,
tum Condomensis, & deinde Meldeensis
Episcopus. Studiis certò ille suum pa-
lam dissimulabat satis cautè: at privatis
aliquando super nonnullis dogmatis hu-
jus capitibus, amicæ quidem, at acres
tamen habitæ fuerant inter nos concer-
tiones. Ad eum nihilominus officiosè
misit Libellum metu adversus Cartesi
figmenta procusum; adjunctis otiam hi-
teris, pro veteri nostra & frequetiti con-
suetudine, in quibus scriptum erat, du-
bitare me acceptum. ne ei forer hujusmo-
di munusculum, probatis ei & placitis
sententiis tam adversarium; et offici ta-
scia mei, pristinæque nostræ amicitez
sationem mihi ante omnia habendam
duxis-

daxisse; ac porrò sperare me in hac opinioneum diversitate nullam intercessuram animorum disjunctionem. Respondit ille, aliquantulum, ut videbatur, subiratus, vix posse se ferre aequo animo, scripsisse me probari sibi Cartesianam doctrinam, quam officere fidei in scriptione mea ipse praedicaverim. At ego contrà subjeoi statim per aliam epistolam, penspectum habere me quām recti essent & integri ipsius de fide sensus, quos & scriptis & dictis tot jam ante annos declarasset; neque plus voluisse me aut potuisse detrahere ex eis, cùm Cartesio favere eos dixi, quām detrahitur ex integritate fidei sancti Doctoris Thomae Aquinatis, cùm Aristotelis, vel ex illa vetustioru[m] Patrum Ecclesiae, cùm Platonis dicuntur sequaces fuisse.

Tum fortè autem mihi lippientibus oculis, & gravi epiphora laborantibus, erupta erat onanis legendi scribendique facultas. Solandi ergo doloris gratia, jocularem quamdam & ludicram commentus sum fabulam, & dictavi Annunuensi, quā Cartesianæ factionis, ejusque dictatoris Cartesii figmenta, sanis Lectoribus deridenda propinantr. In-

R 3 scri-

390 PETRUS DANS HUETIUS
scripta autem ex est hoc titulo , *Commentarii de rebus Cartesianis* , in quibus parata habeantur unde sumantur , qui animalium appellent i volent ad scribendam *Cartesii historiam* . Quodam autem neque persona idere , neque dignitati convenire credidi mimicis hujusmodi jocis popello literato lusus praebere , sedulò cavi ne nomen meum scriptioni huic præfixum appareret . Quod cum ne ipsis quidem editoribus notum esset , aliud confinxerunt ad arbitriam , quod ipsius per singulas literas adnotatum , perpetramque ab aliis editoribus intellectum , variè immutatum est , & aliis aliisque **Autoribus adscriptum** .

Ante annos aliquot redierat ex Hollandia Thuanus , clatissima illa Thuanorum gente ortus , tam benè de optimis literis merita . Is Christianissimi Regis nomine legationis munus apud Batavos obiverat magno cum splendore , & Galici nominis dignitatem adversus Hispanici Legati contumaciam fortiter erat tutatus . Ea autem fuerat liberalitas vitæ , sumtuumque magnificentia , ut attenuatis rebus , ac propè accisis , de vendenda Bibliotheca sua cogitaret ; ea ,

ea, inquam, Bibliotheca, quam Jacobus Augustus Thuanus in testamento suo fuisse à se prædicat quadraginta amplius annorum spatio, magna diligentia ac sumtu congestam, quamque integrum conservari non familiæ solum interesset suæ, sed rei etiam literariae, ac propterea dividi, vendi, & dissipari vetuerat. Id pro fideicommissio, ex Jurisconsultorum sententia, fuerat habendum; sed in his rei familiaris angustiis necessitati parendum erat. Mihi autem intercesserat familiaritas aliqua cum Thuano jam ab annis aliquot. Venit ille ad me subtristis, ac nonnulla de temporum difficultate præfatus & conquestus, rogavit num Regi persuaderi posse crederem, ut Bibliothecam suam, in usum Serenissimi Delphini, comparare vellet, quæ eo penitus indigna non esset, vel ob Librorum delectum, vel ob copiam, vel ob elegantiam & nitorem. Spopondi equidem daturum me operam, ut Regi, regnique Administro & ærarii Praefecto Colberto res proponeretur. Quod & factum est, sed nullo successu; respondit enim Rex esse sibi Bibliothecam satis amplam, quâ filius suus uti posset.

Hac spe dejectus Thuanus ad cōmtores
aliōs converitus est; quos cūm frigidos
reperisset atque parcōs, nec de pretio
convenisset, diuque prostaret Bibliotheca,
postquam morte ille sublatus est, tam
parvo demum pretio ad rei literariæ de-
decus, addicta est ab hæredibus, ut
cūm in libris compingendis & concinnè
ac sumtuosè etiam conveſtiendis centum
millia librarum fuerint impensa, ut pro-
 certo mihi affirmavit Thuanus, ne ter-
tiam quidem summæ hujus partem
æquaverit, ipsius Bibliothecæ venditio.
Cūmque publicè deinde distraheretur,
venit ad me pars ejus aliqua, quæ ma-
gno Bibliothecæ mæ ornamento fuit.
Dolet nihilominus tam nobile interci-
disse literarum decus, tamque parum
ad eam conservandam valuisse Jacobi
Augusti Thuani testamentum, cau-
tioneque testamento adhibitas.

Hinc verò perspicere mihi licuit,
quām certus maneret Bibliothecam mēam
interitus, nisi diligenti uterer provisione
animi ad eum avertendum. Quæ cūm
ipse mecum diu & attentè reputarem,
optimum factu visum est, ad integrita-
tem

¶ An. 1691.

tem ejus in perpetuum retinendam, donare eam stabili alicui Societati hominiū , & religiosæ vitæ legibus adstrictæ, ac literarum quoque studiis deditæ: iis tamen additis legibus; primùm, ut, quoad mihi suppeteret vita, uterer ea & fruerer; deinde, ne post mortem meam distrahi ea posset, nec dividit, nec cum alia commisceri & confundi; neu libros ex ea detractos permutari, neve extra locum, in quo repositi ii effent, liceret transferri, vel commodandi gratiâ, vel facilius commodiusve legendi & studendi, vel ob aliam qualicunque caussam. Sin secura fieret, irritam esse donationem, & Bibliothecæ hujus repetendæ hæredibus meis, hæredumve posteris, jus auctoritatemque esse volui. Vtque conditionum illarum perpetua constaret memoria, aureis & grandibus literis incidi eas curavi in marmorea tabula, quæ & in sublimi Bibliothecæ meæ ac patenti loco suspensa, oculis omnium objecta esset. Eadem enim assensu comprobaverunt suo Patres Domus Professæ Parisiensis Societatis Iesu, cui à me dono data est, & Societatis ipsius Præpositorus Generalis,

R. G. A. ref.

394 PETRI DAN. HUETI
resque coram regiis Libellionibus tracta-
ta, & in publica tabularia relata est.

Feralis fuit hic annus excellenti vi-
ro Carolo Sammaturæo Montauferio,
cùm jam propè ageret octogesimum vi-
tae annum. Hujus virtutem, bellicasque
& literarias laudes ita concelebrarunt vi-
xi per Europam cruditi, ut in illis hic
sterans supervacua videatur omnis esse
opera. At præclara ejus in me merita,
suavissimamque tot annorum conjunc-
tionem, et si passim & voce prædicavi
& scriptis, tam alie tamen animo meo
infixa calarent, ut in me nec frequen-
ti commemoratione, nec recordatione
assidua, gracie referendæ voluntes satis
expleri possit.

Nec multò pòst Abrincas fum pro-
fectus, novaque mihi atque gravis illic
objecta est cura in colligendis & ad ac-
curatum examen revocandis variis, qui
circumferebantur, sermonibus de sagis
& beneficiis, quorum impia per totam
meam Dicæclim facinora passim edita,
multis fuerant offensioni, ac nonnullo-
rum etiam mentes infecerant. Inter ali-
quos criminis huius affines deprehensa
est

i An. 1691.

est à pio quodam Sacerdote, & ad me adducta mulier, Dæmoni, uti ferebatur, ab aliquot jam annis devota & addicta; notam fronti inustam gerens, tanquam certum initi cum eo pacti symbolum. Cui rei fidem ut faceret bonus ille vir, acum loco infigit, cùm nec ullus crumperet sanguis, nec ullum doloris mulier præ se ferret indicium. Quorum rerum cognitionem ad se pertinere ratus Senatus Rothomagensis, caussam ad judicium suum revocavit. Cúmque res obscura, & variis obducta officiis non liqueret, quæsivit à me Senatus per litteras, quid de toto negotio proprius à me inspecto, certiusque comperto, statuendum censerem. Candidè respondi, illusum esse credulitati & pudicitiae incautarum mulierum, quarum cæteras quin nulla extarent damnoſa & noxiæ facta; Patresque enixè rogare me, clementiâ uti suâ adversus imperitam plebeculam uterentur. Quod & roganti mihi benignè concessum est. Dum Abrincis ministeria mea obirem, improvisa interverit Bibliothecaæ meæ, milique adeò calamitas. Quam enim integrum reliqueram Parisiis, & in tuto col-

R. 6 : 10.

locasse me putaveram , eam miserabilis
afflixit casus ac pessum dedit. Aedes
enim, quas illic incolebam pretio con-
ductas, malè materialē vitium fecerunt
fensim , & una deaum nocte corru-
xunt¹. Quā ruinā non Bibliotheca folūm
illic recondita, sed & omnis libraria mea
supellex, chartæ, & scripta multorum
annorum studio congesta & parata, &
supellectilis etiam domesticæ non con-
temnenda pars in propatulum effusa, &
vulgi direptioni permissa est. Quæ cùm
perlata sunt ad Patres Jesuitas, quorum
res agebatur, perinde ut mea, jus enim
meum omne jam illis transcripseram,
miserunt continuò qui vilis popelli ra-
pacitate prohibita , librorum , charta-
rumque omnium congeriem , diligenter
collectam è ruderibus , & reliquum
meum omne domesticum instrumentum,
transferrent in Domum Professam , &
apud se reciperent. Jam enim ante meum
ab urbe discessum, inter me convenerat
atque illos, ut habitationem mihi para-
rent in suis ædibus, in quam diverterem si
quando Lutetiam me negotia retraherent.
In eam deinde redux concessi, nec aliud

mi-

z An. 1693.

mihi in urbe deinceps domicilium fuit,
etiam post abdicatum Episcopatum A-
brincensem.

Sub hæc tempora ^{et} majorem omnium
opinione cepi dolorem ex morte Al-
dii Menagii, cui etiamnum pubescens,
non familiaritate solùm, sed intima
etiam amicitia, & jucundissima studio-
rum omnium consensione fueram socia-
liter adjunctus. Quod uterque nostrum
vulgo notum, publicisque monumentis
per se quisque contestatum esse voluit.
Ac multò antè quam larium sedem po-
suissim Lutetiæ, & adhuc habitarem
in patria, meréque provincialis essem,
frequens tamen intercedebat mihi cum
eo literarum commercium: cum quibus
literis & totum suum ad me particulatim
misit Opus Laërtianum. Ego verò Ori-
genianos meos cum eo communicabam
Commentarios, & ex mutuis consiliis
lucubrations nostras componebamus.
Quo postquam studiorum meorum ar-
bitro & socio orbatus sum, neminem
habui, quem tam confidenter consule-
rem in rebus dubiis, cuique pectus tam
candidè aperirem. Adde comitatem mo-

R 7 . . . rum,

I An. 1692.

rum, amoenitatem ingenii, sermonis le-
pores, congressus urbanitatem. Quam-
obrem vitæ per tot annos jucundè actæ
cùm in mentem veniunt deliciæ, quām
suavis est eorum recordatio, tām acer-
bum & grave desiderium. Gratum in-
terim mihi fuit, quod ab illo factum
est, cùm exemplum meum secutus Bi-
bliothecam suam testamento reliquit ei-
dem Domui Professiæ Societatis Jesu,
cui legaveram & meam; cùm antea fa-
ctum meum visus esset non satis proba-
re. Atqui non valde locuples fuit hæc
Bibliotheca, nec magni pretij; præfer-
tim si Francisci Guyeti, viri doctissimi,
excepisset libros, qui notas eruditas ma-
nu ejus ad oram adscriptas præferebant,
quosque ab ejus hæredibus pretio rede-
merat Menagius.

Non multo abhinc tempore effigiem
meam in ære cælaverat Edelinkius, po-
ritissimus artifex, atque inde expressa ex-
emplaria distrahebantur. Horum unum
tum fortè in Hollandiam translarum ve-
nit ad Petrum Francium, Professorem
Amstelodamensem, poëtica laude flo-
rentem. Is imaginem meam, meque
adèò ipsum carminibus celebravit suis,

Grat.

Græcis & Latinis. Quæ cùm ad me mitteret humanissimis quoque compellavit literis, quibus magnopere gaudere se significabat esse in amicorum meorum numero, meque ad poëticos lusus invitabat. Jam inde verò lucubrationum omnium suarum, quoad vixit, partipem me esse voluit.

Dum hæc agerentur, non unas Hamburgo literas accepi à Johanne Friderico Mayero, homine erudito, quibus magnopere contendebat à me, ut se ad novam *Demonstrationis meæ Evangelicæ editionem* ope juvarem & consilio, subministraremque sine mora, si quid haberem ad manum, quod ad Operis vel ornatum, vel emendationem, vel amplificationem pertineret, cui & vultus mei præfigi effigiem, ut est mos Germanorum, valde velle se significabat. Paruissem equidem honestæ postulationi, nisi paulò pòst scripsisset ad me Johannes Thomas Fritschius, Bibliopolia Lipsiensis, factum hoc ipsum Lipsiæ, quod Hamburgi fieri volebat Mayerus; recudi tempe Opus nostrum, additamque in limine meam effigie. Quam ut conspexi postmodum, non qui-

quidem πρόσωπον τηλαυγής præfixum Operi , uti fieri amat , sed rusticanam & subabsurdam faciem mihi tributam comperi , qualis esset agasonis aut bajuli . Subiectus erat Libellus noster *De situ Paradisi terrestris* , Latinè redditus , sed celato Interpretis nomine . Monebat præterea Fritschius denuo illic prælo subjici Carmina nostra , juxta Ultrajectinam editionem , paucis abhinc mensibus à Grævio adornatam . At eorum nulla ad nos pervenerunt exemplaria .

Venit interim ad me tristissimus nuntius de morte Danielis Macæi , consobrini , & tutoris quondam mei , in Præsidiali Curia Cadomensi Senatoris integerrimi ; quem diverso licet vitæ genere implicitum , aliisque oblectamentis deditum , equestri præsertim rei , canibusque ad venandum , ac planè ab eruditioñis studiis aversum , haud minus tamen ac patrem colui à pueritia , haud minus ac fratrem dilexi , ob facilitatem morum constantemque erga me benevolentiam .

Jamque Episcopali munere solutus , Abrincis excesseram , & in secessu , quem

I An. 1703.

quem mihi paraveram intra Domum Professam Parisiensem Societatis Jesu, & in eorum convictu molliter conquiescebam, cum dira me invasit podagra, incognitus mihi antea morbus, & plane inexpertus. Hinc mihi erectus ad aliquod tempus est pedum usus, hinc quies per diem adienta, somnus per noctem, totumque mensem acutissimis doloribus conflictatus sum. Quibus & anno proxime sequenti leviter tentatus sum, sed penitus deum tractu temporis tormentum hoc resedit.

¹ Hunc corporis dolorem exceptit vehementis animi angor, ex obitu sororis meæ majoris natu, piissimæ & sapientissimæ feminæ: quæ cum in ipso ætatis flore amisisset virum, resque domesticas valde perturbatas, ac propè disperditas & exhaustas reperiisset, eas prudenter suâ & vigilantiâ restituit; natos tutelæ suæ commissos educavit liberaliter; filios duos moribus integris, bonisque artibus, quibus ad humanitatem informari solet puerilis ætas, accurate imbui curavit; ac filias quoque duas claris & locupletibus viris in matrimonium collocavit.

I An. 1704.

locavit. At præcipuum ejus à prima pueritia in excolenda pietate studium fuit; magna blandimentorum & deliciarum mundi despectio, nunquam ferè intermissa in exorando piis precationibus Deo assiduitas; summa asperitas vitæ, crebræ corporis afflictiones, raræ discursationes per urbem; frequens interea domus claustra vel in angulis templorum mora; ut aptissimè in eam convenire possit id, quod de alia quadam pia, nobili, & diligentí femina cecinit olim Hallæus noster:

*Præbuit bæc vobis exemplum nobile,
matres;
Nam fuit in templo Magdala, Mar-
tha domi.*

Quamvis autem fontico morbo jadis vexata, de componendis suis ad supremum exitum rebus admoneretur, repentina tamen & improvisa morte est extincta: de qua cum accepisset nuntium ad Aquas Borbonias, incredibilem animo cepi mœrorem, ut penè solitos fontium haustus atque usus cogerer intermittere, ne corpus ægritudine animi af-

affectum, penetrabilem & intima pervadentem aquarum vim perferre non posset.

Nec multum proefferat temporis, postquam defunetus eram hoc dolore, cum consimilis alter denuo meae opprescit ex morte sororis alterius meae, quae itidem ut altera me natu major erat. Multum illa à sorore discrepabat ingenio & iudice. Seria illa erat & subtristis; hæc hilaris & festiva, jocorumque & oblectamentorum appetens, quibus capi & deliniri juvenilis ætas solet. Præcellens ad hæc forma & staturæ dignitas, quiibus ad eam pelliciebantur & amici multi, & plures etiam amatores. At nupta tandem virgo militari & à cultu pietatis non alieno; ac sororis prieterea exemplo & adhortationibus pellecta, ad sanctiorem tandem vitam traducta est. Cumque per occasum viri, conjugii vinculo & legibus soluta, arbitrii sui compos facta esset, mundum urbanosque tumultus pertæsa, rus concessit, vitam actura solitariam, & ab hominum frequentia sepositam, ut cæteris liberis curis Deo uni, piisque ad æternam salutem exercitationibus vacaret. Verum

rūm ne sic quidem optata quiete & ab
interventoribus vacua frui se posse in-
tellexit. Itaque in religiosum Salesiana-
rum virginum cōtum salutaribus votis
adstricta se abdidit, cui à Sanctissimæ Vir-
ginis Visitatione nomen est. At præter ca-
stigationes corporis, in hoc vitæ genere
sponte ab ea quæsitas & suscepitas, lon-
gè etiam graviores à Deo immaissas tu-
lit. Viginti enim ante obitum annis,
noxius ē cerebro perfluens humor di-
stillare coepit, & redundare in muscu-
los atque nervos, artuumque ligamenta,
ut tota corporis compages tremore ten-
tata vacillaverit primū, mox etiam
ad stabiliendum gradum fuerit adscis-
scendum scipionis subsidium. Postmo-
dum verò ingravescente morbo, offi-
cium suum manus pedesque negaverunt
penitus; atque ita resoluta sunt demum
linguæ vincula, ejusque usum proffus
amisit. Accesserunt acerbi dolores, cùm
humor ille ē capite erumpens stimularet
membranas corporis acrimoniā suā at-
que pungeret. Mirabilis interim in tot
malis patientia; nulli gemitus, nulli
questus, frons quamvis assiduis inter-
dum contracta doloribus, serena tamen
sæpe

sæpe & exporrecta; quasi participem se esse cruciatum Christi intimo sensu lætaretur. Tot deinde miseriis & æruminis oppresso corpore, octogenaria major placido fine quievit.

Hos angores cumulavit alia ægritudo, gravis profectò & acerba, de morte Ludovici Burdalsei, è Societate Jesu, sacrorum Evangelii præconum hac ætate longè principis, quo vel propter collata in me summæ benevolentiae officia, vel propter amabilem quemdam animi candorem, nemo mihi fuit atnicioꝝ; erat enim in eo peccatum apertum, & ut ita dicam, pellucidum; neque certè jucundior quisquam, propter lepores ingenii, suavissimamque hilaritatem. Accesserat frequens ac penè quotidianus multorum annorum usus, cum nulla penè abiret dies, quin ad me veniret sub noctem, & quidquid interdiu ad se allatum esset novi, exproteneret peramanter, & in medium quæsita officiosè reponeret.

Per id tempus ventitabat ad me sæpe numero certis statisque diebus Johannes Petrus Valbonesius, pri-
marius
Jean Pierre Moret du Boarc-chenu de Valbonnaise.

marius Præses Curiæ Gratianopolitanæ rationum regiarum, vir & humanitatis, &c, quod vix credibile sit quamvis oculis captus ac planè cœcus, rarer etiam eruditioñis laude insignis. Cumque fortè aliquando iisdem horis venissent ad me honesti quidam & literati homines, totumque pomeridianum tempus cruditis sermonibus jucundè esset transactum, convenit inter illos hac suavitate illectos, ut singulis quibusque hebdomadibus bis eisdem congressus apud me repeterent. Quod ego quidem vix optare, nedium postulare aut sperare esse ausus. Atque hinc certè impositam sibi legem conveniendi mei per illos dies atque horas tam constanter retinuerunt, ut hinc nova apud me exorta sit & constituta non ignobilis Academia.

Venerunt ad me Ultrajecto literæ hoc tempore ab Henrico Sickie, quibus prænuntiabat missurum se ad me Araticum Libellum, cui titulus est *Evangelium Infantiae*, vel juxta Galasium, *Liber de infantia Salvatoris*, (si modò Liber idem uterque est). Latinè à se redditum & Notis illustratum. Rationem præterea studiorum suorum expō-

nebat candidè Sickius , paratam habere se interpretationem Alcorani , adjunctis Scholiis utriusque GialalHoddini , & actorum quoque Sergii Monachi illius , qui Mahummedi ad impietatem doctor & præfultor fuit. Quanquam attentiùs introspicienti dūbium esse potest , an non supposita sit hæc scriptio , & recentior quam creditur.

Prodierat non semel in lucem data me responsio ad literas amplissimi Gisberti Cuperi , quibus sententiam meam rogabat de Diis Berœensibus Madbacho & Selamane. Quæsiverat hoc ipsum & ab aliis compluribus literatis viris , ac præsertim à Jacobo Rhenferdio , homine apprimè erudito. Is cùm ex Berœensis hujus marmoris ectypis descriptionibus veterum characterum Syrorum formas observasset , eorum omnium seriem integrā restituere se posse spēravit. Tum à Palmyrena scriptura ad Puffeiam dedu&tus , impendiōque magis lætatus , rem totam Frænkerā continuò perscripsit ad me , quem sciebat rei literarīe incrementis magnopere delectari , subiectique triplex ac planè diversum elementorum Phœniciorum genus esse à

sc

se repertum, Syriacorum, Africanorum
sive Siculorum, & Hispaniarum. Enixè
deinde contendebat à me conatus suos
ut juvarem, nummorumque antiquo-
rum, qui in Gallia habentur apud
nos, copiam sibi facerem ipse si possem,
vel ab iis qui possebant impetrarem.

Hoc ipso tempore quintam Carmi-
num nostrorum editionem adornavit Ja-
cobus Stephanus, Typographus Pari-
siensis, diligens, & elegantiarum artis
sex apprimè studiosus. Jam olim ea me
inscio & inconsulto in Hollandia eden-
da curaverat Theophilus Hogerius,
bonus & literatus juvenis, mihi jam su-
prà dictus : qui cum more suæ gentis
perlustraret Europam, venit Cadomum,
Cadomensiumque urbanitate & erudi-
tione definitus, diuturnam illic in hū
Musarum mortam fecit. Reversus de-
mum in patriam, partasque literarias
opes recognoscens, nonnulla quoque
mea carmina suis adjunxit, & in lucem
dedit. Nominis nostro tamen impensè fa-
vebat Grævius, neque ullam nostram
vel levissimam scriptiōnem patiebatur
anteire. Vtque frequens erat inter nos
literarum commercium, recentes omnes

COMM. DE REBUS &c. Lib.VI. 409

industriæ nostræ foetus invicem missitabamus. Ergo Hogersianam Carminum meorum editionem, multorum aliorum, quæ à me identidem acceperat, accessione locupletatam, subjecit Ultrajectinis typis, & ad me misit. Ad cuius formam expressæ aliæ prodierunt subinde, quoad in postremam hanc dénum omnem industriæ suæ præstantiam Stephanus Typographus contulit. Ac perjucundum mihi sanè fuit ita probatas fluuisse Ecl̄ogas quasdam nostras viris poëtica facultate claris, ut illas Gallico carmine redderent, eoque tam motli & concinno, ut non parum decoris & ornatus iis accessisse videretur: adeò felicititer nativos ductus & primigenium colorem assūcti sunt. Nam quæ *Vitis* titulum præfert, & à me olim etiamnum adolescentē lucubrata est, Gallicis eam numeris expressit Chanavarinus, in Rothomagensi Computationum Curia Magister; *Irim* Marchio Faræus, Stipatorum Aurelianensis Ducis Præfectus; *Lampyrin* Paulus Talamantius, unus ex Academiæ Francicæ Sociis; alter vero ex eodem Sodalito Seraphinus Regnarus, argutâ epistolâ Latino carmine scripsit,

410 PETRI DAN. HUETLI

ptā, *Melissam Eclogam* prosecutus est.
Et Chanavarinum quidem, cūm ad me
sibi de nomine vix cognitum, *Vitem*
staciam, vel suam potius, Gallico cultu
exornatam, humaniter misisset, memini
me hoc carmine excipere:

*Immeritans Vitem quo sis dignatus ba-
nore.*

Audiit, & subito sic mibi Phæbus
ait:

Eſt jam, cui Vitis plusquam tibi debeat.
alter;

Eſſe illi dederas, hic dedit eſſe benē.

Nec intentatæ mihi sunt Gallicæ Mu-
ſæ, at ſæpius etiam, eisī ſtrictim & obi-
ter, ac veluti per tranſennam conſaluta-
tæ, ita ut Latinorum meorum Carmi-
num numerum ferè exæquarint. Ac li-
quidò profiteri poſsum nusquam me ad-
eas ſerium & valde attentum accessiſſe,
ſed ludibundum, & velut alias res agen-
tem, & excurrentem in alienam poſſeſ-
ſionem: ſæpiſſime vero cūm ſedens in
rheda Lutetiaſ vectarer per compita &
angipontus, Atqui hæc ludicra ita negle-
xi, ut per pauca exiſtent in meis ſcriniis,

ac

ac ferè nulla; penitusque intercidissent;
nisi subvenisset in tempore clarissimus
Fucaldius, amicus manus summus, lite-
rarum amans, forensis & ærariæ rei per
Normaniam Præfectus; qui cùm aliquid
esse putet nostras nugas, disjecta colle-
git Gallica Potemata, & ab interitu ser-
vavit.

Universè verò de Carminibus meis,
quorum hic incidit mentio, palam hoc
agnosco & facio: cùm magna eorum
pars per juveniles annos mihi exciderit,
plurimum ac minium etiam illic inesse
amazoniae vanitatis, quæ aetatis hujus
propria est.

At patriam quidem meam, & mores,
& studia, & vitæ genus in pauca con-
trahere, & in Epigramma hec referre
sum conatus:

Καδμοὶ ὄπαστ πάτραι, Μοῦσαι
δέ με παῖδ' απίταλλοι,
Τέποι Κεονίωι δῶκε επωνυμίη.
Ἐγ μυχίοις πραπίδεοι καθέξετο
Φοῖοι ἀνάστα,
Μηδὲν ὄλας καὶ ἐμῷ ἵσχυε
ἔχθρα τύχης.

Επί δέ κυλινδόμενος πηλώδης συρράτω αῖνος,

Νοῦν δῆθος Θεός τεραστούς εἰλαχείρως.

Ex Hollandia deinde perlatus est ad me horribilis & sacer Libellus Johannis Tolandi, qui *Adeiſidæmon* vocabulo barbaro inscriptus est. Horribilem dico, propter Aucteris infamiam, quem nequam & probreſis natalibus ortum ferunt; tum & quod nomini ejus publice judicio inusta est ab ipsius popularibus turpitudinis nota propter impietatem, quam palam ausus fuerat profiteri; narrantque graviori poena, atque ultimo etiam fortasse supplicio fuisse afficiendum, nisi saluti suæ prudenti fuga consuluisseſſet. Sacrum appello eundem Libellum, quod homo ille nequam & perditus supremo Deo bellum videatur indixisse. Adde ſcriptionis ipsiusi insulfitatem & barbariem, supinamque ac ridendam humanarum juxta & sacrarum literarum inſcritiam. Nam quod ad me attinet, quem ille figendum maledictis & proſcindendum ſibi proposuit, quidnam
ho-

honorificum mihi & glriosum esse
ducata, Dei ipsius caussâ vel atroces per-
ferre injurias, unâque cum eo contume-
liis onerari? Quamobrem ipse sibi Deus
aderit caussat suæ vindæ, dum partes
meas ipsi tutandas relinquó. Quamquam
nec jam inter viros cordatos defuit, qui
hoc officio fungeretur. Statim enim at-
que è tenebris emersit scelestus ille Li-
ber, adversus exorientem & grasiantem
impietatem stylum feliciter strinxit vir
insigni pollens pietate & eruditione Ja-
cobus Fayus ¹, & nefarii nebulonis re-
pressit petulantiam, ac nostro etiam ho-
nori officiosa defensione consuluit. Pe-
teram equidem in ea acquiescere, ita
contusa est hominis procacitas; & fe-
cissim utique, nisi in dubium vocata
fuisse fidei meæ integritas in deponen-
dis variis Auctorum priscorum testimo-
niis, cùm sanctæ nostræ Religionis ve-
ritatem assertere instituissim in *Demon-
stratione mea Evangelica*. Cùmque di-
gnitatis meæ non esse intelligerem, ma-
nus in luto hoc subigendo foedare, para-
tam à me responsionem alieno nomine
prætexui.

S 3

A:

¶ De la Faye.

At personam mihi denique detinuit
clarissimus Abbas Johannes Marius Mar-
ca Tilladerus , cum Dissertationes aliquot diversis à me lacostratas tempore-
bus super rebus variis argumenti , partim
ad Religionem , partim ad Philologiam
pertinentes , recognovit ; easque in vulgas
sparsum passimque disseuntas vir optimus ,
bonarum literarum meique studiosus ,
colligere , & ab interitu vindicare inten-
suit . Facile equidem passus sum ferus
mucus , neglectos à me & propemodum
expositos , & errantes per angiportus ,
scandentes partiis daribus , & in unum
conjunctos , atque in auto collectatos ,
nunc prodire in vulgas mundiorc & de-
centiore cultu . Veteris verò praecepti
memor Tilladerus , quod inchoatus
Opus aliquod praefigere juber insignem
faciem & splendidam , collectis à se Di-
sertationibus prefixit luculentam Prae-
fationem , singularis susc erationis , su-
que adversum me amoris , & præclaras
existimationis notis distinctam ; quâ quid
singulis consereret , doctè & argutè
exposuit . Huc quisquis evolvenda sum-
ferit , plurima reperiet vulgi judicio per-
missa , vel privatim ad amicos scripta
fa-

familiariter, vel in meos peculiares usus.
 Quic, si res optionis meæ fuisset, super-
 presta maluissim. Conjectit is q[uo]doque in
 hanc Farraginea complures epistolæ
 temporibus illis ad literariæ rei princi-
 pes, à me olim tenuerè fortasse & in-
 consulito scriptas, cùm vix mea tetes pri-
 mari designaret juventutem. Quod si ex
 tevi hoc scriptiorum genere quæsi vi-
 suis laudem, promtum nobis erat, ut
 que etiam hunc certè est, plaustra eom-
 mentationum hujusmodi, & epistolarum
 ad sinecure doctrine studia spectantium,
 è literario nostro penu deponere; quas
 sumen non perire, si tantum de me abs-
 que invidia jactate licet, interesse fortis-
 sim aliquantulus potest bonarum literar-
 um.

Vix typographica claustra perfregerat
 haec Opuscotorum cotigetries, nec dum
 vulgi iudicia eram expertus, cùm mor-
 bus me invaserit tam acrox, ut intra octa-
 vum diem desertus à Medicis, & de-
 ploratus sim. Tantaque confecura est
 animi defectio, ut penitus mente lapsus
 sim, nec ullius rei in me superfuerit no-
 titia. Jamque facio oleo perunctus, in

extremo colluctantis cum corpore animæ conflictu piis precationibus comprehendabar Deo, cum, ipsius beneficio, & supremo reviviscentis naturæ conatu, crumpens derepentè toto corpore salutaris sudor omne morbi abstersit virus, meque ad vitam revocavit. Nec ita tamen penitus convalui: perdiu enim tam acerbis vexatus sum cruciatibus, ut omnes mihi artus ardere viderentur. Itaque à circumstantibus famulis saepe auditus sum, cum mortem flagitarem à Deo, & inter gemitus ac suspiria cuperem dissolvi, & esse cum Christo. Accedebat tanta corporis debilitas, ut ne manum quidem ori admovere possem, jaceremque per multos dies immobilis tanquam stipes. Ita quoque incubuit in aures & in oculos fera vis morbi, ut mihi primò visus sim in totum vitæ tempus surditate & cæcitate damnatus; quæ ne post confirmatam quidem valetudinem in integrum planè sunt restituta; nam & paulò obtusior mihi est auditus, nec facile utor oculis, nisi ad claram lucem: adeò ut quod solitum mihi fuit toto ferè vitæ tempore, alienos oculos, & agnoscere officium adhibere ad legendum,

id

id nunc vel maximè cogar facere.

Gratiis Deo pro recepta valetudine,
vel potius vitâ, actis, ex nova Pratellii
Operum editione, de qua superius dixi,
cognovi quām barbaro & ferino ritu à
superstite hominis illius factione, cùm
animam agerem, fuerim acceptus. Ac
contumaciâ suâ frui illos facile sivissem,
nisi rerum gestarum veritatem, certò
mihi compertam, commentis figmentis-
que petulanter adulteratam intellexissem
in mustea hac Pratellianorum maledi-
ctorum congerie. Protervitatis enim suæ
& nequitiæ sibi consciâ, res ad arbitrium
vel suppresserunt, vel dissimularunt,
vel nulla religione adhibita confinxerunt.
Caverunt verò præcipue, ne quid
à re quæ agebatur quantumlibet alienum
prætermitterent, quod ad nostram exi-
stimationem minuendam crederent per-
tinere. Contemnere equidem possum mi-
nutos latratus catellorum, latratus modò
sint, non mortuus. At cùm exsertos sen-
tio in me dentes, virgâ abigo. Levi er-
go scriptio, at modesta, irruentem in
me compressi calumniam, meque omni
studui exsolvere suspicione vanitatis, &
famæ mœi integritatem tueri. Venerit hæc

S 5 quo-

quoque scriptio in manus Johannis Clerici, iudicem ut illa altera superius à me commemorata. Plurimas enim necessitudines habet ille Lutetiae, quæ rerum omnium illic actarum expertem esse eum non sinunt. Meam hanc ille, pro instituto, defensionem retulit in *Bibliothecam suam Selectam*, suamque ei privatim subjunxit; nominique suo, & à Pratellio & à Pratelli congerronibus spurcissimi oris intemperanter violato, solidè quidem, sed modestissimè tamen patrocinatus est.

Inter acerbissimas vitæ mœst calamineas merito ponendus mihi est repentinus Cardinalis Estræi interitus, qui circa illud tempus summo meo dolore contingit. A primis quidem adolescentie meæ annis cum eo vixeram conjunctissimè; nam & iisdem delectabantur studiis, magnaque erat in rebus diversis voluntatum omnium concordia. Frequens ad haec intercedebat vita usus & societas, cùm ingruente acroscissima vi morbi intra paucas horas extinctus est; unaque mihi crepta est suavissima pars vitæ, præsidiumque in rebus dubiis, & in acerbis solatiump.

Tum

Tum vero animum retuli ad hanc, quam habemus in manibus, quamque hic exhibemus, rerum nostrarum narrationem, ob eas quas in aditu Operis ipsius caussas exposui. Has qui secus interpretabuntur ac referent ad captandam popularem auram, pœnitentia eos fortasse judicii sui, cum viros graves, ingenii & doctrinæ laude conspicuos, mihiique amicos & perfamiliares, hanc à me invito & reluctante operam assidua multorum annorum efflagitatione scient extorsisse. Nec tam suffenus sum tamen, meique amator, ut id mea ipsius causa opiner esse postulatum à me. Quid enim in me est? aut quid in vita mea fuit, quod novisse vel minimum intersit hujus ætatis, aut futuræ? Scilicet is labor est eruditis hominibus, quid cogitaverim, quibus deditus fuerim studiis, quid scripperim, & omnino quis homo, albus an ater fuerim. Verum cum multa me amici de doctissimis superioris seculi viris, quibuscum notitia mihi & consuetudo fuit, saepè narrantem audirent, veriti scilicet ne intercideret rerum illarum memoria, referri voluerunt à me in litteras, quæ peti non poterant aliunde,

S 6. cùm

cum perpauci supersint æquales temporum illorum. Sed & altera etiam accessit, eaque gravior caussa; nempe ut prætinæ vitæ meæ acta recognoscens coram Deo, quámque multa egerent emendatione ex propinquo arguens, salutari poenitentia eluere & reparare possem.

Quod si rem non argumentis solùm, sed exemplis etiam licet tueri, plurima sanè, eaque illustria, & in veteri & in recentiori memoria sunt in promtu. Patiatur modò benignus Lector, & in mei gratiam, Operisque mei tutelam, paulò hinc me longius excurrere. Nonnullos autem recensui, quorum in consimili exercitatione præcipuum nomen fuit, ne forte rei huic vel novitatem affingens ullam, vel raritatem, albo nos recuset calculo absolvere. Ac commemorandi primùm veniunt clari Reges, & Imperatores plurimi, qui virtutis ac gloriae suæ sibi consciî, & magnitudinis rerum gestarum, factum iri fraudem rat sunt posteris suis, si partarum laudum decus, meritis suis quæsitum, & ad illos pertinens hæreditario quodam jure, inertî & ingratâ silentio extinxissent. Hiac prodierunt Alexandri commentarii

Jau-

Iaudati à Plutarcho ; hinc illi Cæsaris ; hinc tredecim illi libri , quibus vitam suam exposuit Augustus ; hinc illi quoque Tiberii , summatur breviterque compositi ; & octo illi Claudi. Quid Vespasianum ? quid Trajanum ? quid Hadrianum ? quid Severum ? quid Aurelianum ? quid alios in eadem palestra versatos commemorem ? Cavendum tamen ne scripti ab Imperatoribus Commentarii de rebus ad imperii gubernacula pertinētibus confundantur cum iis, in quos res suas privatas retulerunt. Cujus moris exempla repeti possent ex priscis Reipublicæ Romanæ temporibus : nam tres de vita sua libros ad L. Fusidium scripserat AEmylius Scaurus , qui Consul fuit anno post Romam conditam DCXXXIX. Factum id quoque à Rutilio Rufo , qui post decem annos Consul & ipse fuit. Q. Lutatium Catilum , qui cum Mario Consulatum ges- sit , anno ab V. C. DCL . molli & Xenophontejo genere sermonis scripsisse de rebus gestis suis , ad A. Furium Poëtam familiarem suum , testatur Cicero. Ille ipse Cicero , optimus in hoc genere & in moribus regendis magister , cùm

à Lucejo, amico suo, nobili Romanarum rerum Scriptore, ægrè impetratorum se putaret, & historiam Consulatus sui peculari opere proderet memorie, *Cogit*, inquit, *fortasse facere*, quod nonnulli sape reprehendunt, scribere ipse de me, multorum tamen exemplo, & clarorum virorum. Nec negat tamen in hoc genere scriptionum inesse virtus quædam, & quod verecondius de se scribendum sit, si quid est laudandum; & saepe prætereundum, si quid reprehendendum; tum & illarum minorem esse auctoritatem atque fidem. Hanc autem hominum res suas vitamque ætam prædicantium confidentiam iis verbis excusat Tacitus¹, quæ quoniam ad defensionem quoque nostram accommodata sunt, hic referemus: *Apud priores ut agere memoratu digna primum, magisque in aperro erat; ita celeberrimus quisque ingenio ad prodendam virtutis memoriam, fine gratia, aut ambitione, bonæ tantum conscientiae pretio ducebatur.* Ac plerique suam ipsi vitam narrare, fiduciam potius morum, quam arrogantiam arbitrati sunt; nec id Rutilio & Scauro citra fidem aut

obinterpretationi fuit. Poteramus his quoque adjungere, magnum quidem, at modestissimum virum Marcum Aurelium Philosophum, illos secuti, qui libros ipsius, quos legimus, scriptos ab eo opinati sunt, quasi vitae sue historiam. Quod longè fecus esse agnoscet facile, quisquis eos suo ipsius iudicio, non aliena fide testimoniaverit. Deprehendet enim vel ex primo intuitu, non rerum à fectarum historiam, sed gerendarum precepta ipsum contextus, nullo digesta ordine, sed inconditè congregata, variis temporibus atque locis, ab homine diligenti; prout ea, vel meditatione, vel usu, opportuna sibi esse judicabat. Ecqua verò splendidiori auctoritate uesti nos possumus, quam Josephi, tot nominibus suspiciendi, qui cùm vitam suam descripsent, ut appendix esset ad historiam antiquam gentis sue, quam viginti libris complexus est, cinq̄ subiecteretur, manifestè declaravit ea sc̄e, minime id ad decus suum, sed totum ad popularium suorum utilitatem referri voluisse.

Quòd si majoris sunt apud nos auctoritatis recentiorum temporum exempla, dabi-

dabimus in scenam Hieronymum Cardanum, qui in vita sua studiorumque pertexenda historia ita sibi placuisse vi-
sus est, ut vix modum sciverit adhibere ullum, & posteriorum interesse credide-
rit non ignorare qualis & quantus vir
fuerit; dabimus Erasum, cui idem
propositum fuit, et si alia specie dissimu-
latum; dabimus Scaligerum utrumque,
quorum prior, in Epistolis ad amicos,
buccinator ipse virtutum suarum tam
pleno ore fuit, ut videatur esse veritus;
ne quid de earum existimatione incau-
tus orbis decerperet; at Josephus filius,
& suam & patris vitam ad Janum Dou-
sam scribens, passimque in reliquis Ope-
ribus, effraeni & immoderata ja&tantia
prædicat laudes suas, ut propè convi-
tium faciat ætati suæ, quod aras sibi
non excitaverit. Parcior fuit & vere-
cundior in narranda vita sua historia
Georgius Buchananus, brevis etiam &
adstrictus, & candidè quoque se ipse
denudans, ut nec de novis pravisque
religionibus, quæ mukorum animos in-
fecerant illa ætate, quid ipse senserit sa-
tis dissimulet. A nemine vero in hujus-
modi lucubratione superari se passus est
Ja-

Jacobus Augustus Thuanus , vel dignitate operis , vel varietate rerum , vel scriptioris elegantia , et si non satis emendata atque casta , in iis Commentariis , quos de vita sua posteris reliquit .

